De Ctesia aliisque auctoribus in Plutarchi Artaxerxis vita adhibitis

scripsit

PAUL KRUMBHOLZ.

REALGYMNASIUM DÜSSELDORF GYMNASIUM

Beilage zum Jahresbericht 1888/89 des Carl Friedrich-Gymnasiums in Eisenach.

EISENACH

Hofbuchdruckerei.

9ec 6 (1889)

1889. Progr. Nr 634.

341,14 b

UNIVERSITÄTS- UND LANDES-BIBLIOTHEK DÜSSELDORF

Quicunque operam dat historicorum et graecorum et romanorum fontibus explorandis, eum sententias quasdam, quae multorum annorum diuturnitate firmatae constiterunt, saepe nunc in his quaestionibus retractandis a viris doctis perverti fugere non potest. Qua ratione quamquam tolli quoque multos errores nemo negabit, simul tamen falsa saepe irrepere iudicia pro veris facile cognoscas, quod maxime in Ctesiae fragmentis explorandis accidisse equidem persuasum habeo, quae virorum doctorum iudiciis aliis aliter vexata sunt. Velut cum olim constaret inter omnes praeter fragmenta scriptoris nomine tradita non parvas Ctesiae historiarum partes exstare in Diodori libro secundo atque in Plutarchi vita Artaxerxis, nuper fuerunt, qui in his libris superesse reliquias Ctesiae fere negarent. Quare si olim (Rhein. Mus. XLI 1886, 321—341) Diodori Assyriae historiam, quam C. Jacoby Cnidio illi eripuerat, ei restituere conatus sum, nunc de Artaxerxis vita Plutarchea disseram. Neque vero timeo, ne quis crimini mihi det, quod quoniam ante hunc annum quarta de hac re commentatio in publicum prodierit, quam scripsit Mantey (Welchen Quellen folgte Plutarch in seinem Leben des Artaxerxes? Greifenberg i. P. Progr. 1888.), iterum ad eandem causam ego revertar. Nam si libere me sententiam meam proferre velis, hunc libello suo non multum profecisse dicere non vereor; accedit, quod ille secutus est sententiam Smithii (a study of Plutarch's life of Art. Leipz. 1881), qui cum doctissime et sagacissime hanc quaestionem tractaret, in eius vitae prima parte Ctesiam fontem esse principalem primus negavit; quam ipsam sententiam ego sum impugnaturus. — Ut autem nunc quidem quae haberem dicerem de Ctesia aliisque auctoribus a Plutarcho in Artaxerxis vita adhibitis, id scito factum esse, quod nuper intellexisse mihi videbar etiam viros esse doctissimos, qui dubitarent utrum Ctesias an Dino auctor esset Plutarchi in prima eius libelli parte. Quare cum nunc ad hanc quaestionem retractandam accedam, videndum est ne dicenda omittamus neve exploremus explorata, quamobrem priusquam quaeramus ipsi de fontibus videamus, de quorum vitae capitum fontibus iure consentiant viri docti.

Ac primum quidem cap. X, quo quomodo Cyrus in pugna ad Cunaxam commissa occiderit narratur, e Dinonis opere de Persarum historia scripto excerptum esse Plutarchus ipse disertis verbis dicit. Hic enim cum de morte Artagersis Persae a Cyro interfecti omnes fere scriptores idem traderent (c. IX), inde exorsus Dinonis et Ctesiae de Cyri obitu narrationes inter se comparavit. Qua in comparatione quod illius verba ordine antecedant Ctesiae non miraberis, si cognoveris Plutarchum in proximis capitibus, ubi de rebus post Cyri mortem gestis agitur, Ctesia uno auctore usum esse.

Ac ne de capp. XX—XXX quidem accuratius nos disputare oportet, cum id quidem satis constet e Ctesiae opere ea non sumpta esse, nisi forte afferuntur pauca capitis XXI verba haec: *ὁ δὲ Κτησίας αὐτὸν ἀφ' ἑαυτοῦ βασιλέα φησὶ προσθεῖναι τὴν λειτουργίαν αὐτῷ ταύτην.* Nam si sententiam sequimur a viris doctis omnibus fere comprobatam, omnia ea quae inde a capite XX a Plutarcho narrantur in Ctesiae libris non inerant, quorum in fine quomodo Ctesias discessisset ab aula Persica narratum

fuisse videtur, id quod anno 397 factum esse verisimile est (cf. Volquardsen, Quellen Diodors p. 121). At enim sunt verba quaedam Ctesiae a Photio § 62 servata, quae suadeant, ut proximos per annos Ctesiam in Persis versatum esse opinemur, cum haec dicat: *καὶ τὸ χῶμα δὲ τοῦ Κλεάρχου δι' ἐτῶν ὀκτὼ μεστὸν ἐφάνη φοινίκων, οἷς ἦν κρύφα Παρύσατις, καθ' ὃν καιρὸν ἐκεῖνος ἐτελεύτησε, διὰ εὐνούχων καταχώσασα* (cf. Plut. Artax. XVIII). Qua re commotus Rettig (Ctes. Cnid. vita 1827 p. 17) nisi fallor primus ut scriptor *τὸ θαυμαστὸν ἄλσος* (Plut.) in Clearchi tumulo videre posset, septem ad minimum annos mortem Clearchi et Ctesiae reditum interiacere ratus est, ut anno 394 fere hunc redisse putaret. Quam ad Rettigii sententiam ne accedam neve putem Ctesiae historias usque ad a. 394 deductas esse prohibeor et Diodori (XIV 46) testimonio, qui usque ad anni 398 res gestas Ctesiae libros pertinere dicit, et excerptis Photii, quae bene congruunt cum Diodoro. Nam cum in extremo libro commemoret Photius, quomodo Conon classi Persarum sit praefectus, id quod a. 39$^{8}/_{7}$ factum esse reri licet (cf. Nipperdey ad Nep. Con. 2, ed. mai.), non est causa cur sequentia a Photio omissa esse putemus. Et recte quidem iudicavit Smith p. 28, cum dicit, si integra sint verba *δι' ἐτῶν ὀκτώ*, nihil aliud ex eis concludi posse nisi illud Ctesiae *Περσικά* non esse edita ante a. 394; fabulam autem illam de Clearchi tumulo aut totam esse a Ctesia fictam aut ostendisse scriptorem se etiam ubi discessisset e Persis inde nuntios accepisse. — Sed haec verba iam corrupta esse vir doctus inde suspicatus est, quod verisimile esset ut testem ac spectatorem de palmis illis Ctesiam narrasse, quae causa ne mihi quidem displicet; sed si idem opinatur *διὰ μηνῶν ὀκτώ* illum scripsisse, quod a librario quodam ut nimis mirum mutatum esse credit, ego minime eum sequor. Fortasse probabile videatur, si scribam *δι' ἐτῶν τριῶν* (numero *η* mutato in *γ*); nam cum Clearchus sit interfectus a. 401, hoc ipso numero tali modo mutato Ctesias se ipsum illud miraculum vidisse professus est.[1])

Proximum est, ut commemorem viros doctos consentire de capp. XI—XVIII origine. Nam cum Plutarchus initio cap. XI, ubi alteram de Cyri morte narrationem refert, ipse dicat: *ἡ δὲ Κτησίου διήγησις, ὡς ἐπιτεμόντι πολλὰ συντόμως ἀπαγγεῖλαι, τοιαύτη τίς ἐστι,* quin ex eodem fonte fluxerint capita proxima nemo dubitat (cf. Haug, die Quellen Plutarchs p. 90. Schottin, observ. de Plut. vita Artax. Budiss. 1865 p. 5. Smith p. 32. Mantey p. 13 sqq. C. Müller Ctes. fragm. p. 70 sqq.). Narrat autem his capitibus Plutarchus, ut Artaxerxes rex de Cyri morte certior factus et ipse in vitam revocatus venerit ad fratris corpus; sequuntur verba de regis exercitus magnitudine et Ctesiae legatione ficta; deinde tradit scriptor, quibus praemiis, quibus poenis nonnulli viri sint affecti, porro qua morte Mithridates, qui regis gloriae obtrectabat, et Masabates, qui Cyri corpus regis iussu obtruncavit, denique Clearchus Lacedaemonius perierint. Quae capita Ctesiae esse cum constet inter omnes, de causis quibus commoveantur viri docti ut hoc credant dicere longum est. Dico quae hic narrantur a Plutarcho, tot tamque artis connexa esse inter se vinculis, ut eiusdem fontis esse debeant; et quoniam in capp. XIII et XVIII Ctesias compluries nominatur, quia omnia fere et cum cap. XI cohaerent et cum Photio bene consentiunt, ad Ctesiae auctoritatem nos neccessitate quadam deducimur.

---

[1]) Ne praetereamus, quae alii de hoc loco senserunt, W. Nitzsche (über die Abfassung von Xen. Hellen. Berlin 1871 Progr. S. 44 f.), qui ipse de his quoque verbis disputavit, cum Ctesiam a. 396 in patriam redisse existimet, scribere vult *δι' ἐτῶν ὀλίγων*; hanc enim conjecturam suadere ei videntur verba Plut. Art. 18: *φοινίκων δέ τινων διασπαρέντων ὀλίγῳ χρόνῳ θαυμαστὸν ἄλσος ἀναφῦναι*, quae Ctesiae esse nemo negat. Sed equidem minime dubito, quin scriptor quo loco id miraculum narrabat, quod ipsi admodum memorabile videbatur, certum quoddam temporis spatium ediderit, qua in re Plutarchus liberius Ctesiae verbis usus est. — Cur autem putem non male me pro *η* scripsisse *γ*, causa est, quod vir doctissimus Haussknecht, qua est in me benignitate, per litteras mecum communicavit tertio anno palmam in Persis sesquipedalem aut bipedalem fere esse, deinde autem celerius crescere, ita ut octavo anno duodecim fere pedes alta esset, id quod Ctesiae verbis mutatis bene convenire apparet.

Restat cap. XIX, de cuius fontibus nemo dubitat; in quo narratur et de Statirae obitu et qua ratione Artaxerxes Parysatidem matrem, quae illam veneno interfecerat, eiusque ministros ultus sit. Satis enim elucet hic Ctesiam[2]) et Dinonem, quos nominat Plutarchus, una esse adhibitos, ut verisimile sit in eis rebus, de quibus nihil adnotat ille, scriptores consensisse. Sed singulas res quae de causis mortis Statirae initio capitis narrantur non ad Ctesiam redire intellegitur e cap. XVIII (cf. Mantey p. 16), Dinonis ea esse conicere licet, quamquam equidem Smithii sententiam (p. 16) sequi dubito, qui hunc scriptorem de Statirae morte bene eruditum hic Polycriti medici auctoritate (cf. cap. XXI) usum esse opinatur. Ctesiam autem sine dubio Plutarchus sequitur de tempore, quo regis uxorem diem supremum obisse enarrat, id quod cognoscitur e cap. VI; iam quod dicit *ἐκ δὲ τῆς πρόσθεν ὑποψίας καὶ διαφορᾶς ἀρξάμενοι πάλιν εἰς τὸ αὐτὸ φοιτᾶν κτλ*' esse haec Cnidii Smithius intellexit recte quidem, cum Dino Statiram iam belli Cyri temporibus necatam esse traderet. Mantey denique Dinoni ea vult tribuere (p. 16), quae de Gigis poena narrantur, quod in huius scriptoris libro haec dominam in reginae caede adiuvisse dicatur, cum secundum Ctesiam invita conscia fuerit sceleris. Non praetermittam hic Ctesiae laudem, qui recte iudicavit, cum sequeretur iudicum iudicium (Phot. § 61); sed commemorantur apud Photium *καταδίκη παρὰ βασιλέως καὶ αἰκισμὸς Γίγγης καὶ ἀναίρεσις,* unde satis constat apud Ctesiam quoque Gigin ut veneficam regis iussu necatam esse.

Sed haec quidem de his capitibus, de quibus consentimus cum eis, qui ante nos has quaestiones tractaverunt; nobis igitur nunc est quaerendum imprimis de fontibus capp. I—IX, quae Ctesiae tribuerunt olim Haug et Schottin, quorum neuter argumentis satis firmis usus est; contra Dinonis esse ea omnia fere iudicaverunt et Smith et Mantey, quorum hic quidem saepius parum dilucida oratione quid sentiret professus mihi esse videtur.

Ut igitur exordiamur a firmo iustoque fundamento, eis rationibus utemur quae adhuc a viris doctis institutae sunt de aliis partibus libelli. Quare quoniam Ctesiae esse quae in Artaxerxis vita narrantur a pugna Cunaxensi usque ad librorum eius finem inter omnes constare vidimus, cum in parte non parva scriptor Cnidii libros ut fontem principalem adhibuerit, nonne conicere licet Plutarchum Ctesiam putasse scriptorem esse satis bene eruditum, cui fidem habere vel posset vel deberet? Quae cum ita sint, cum idem Ctesias eam quoque Artaxerxis vitae partem, quae antecedit bellum civile descripserit, quomodo factum esse existimas, ut in hac parte Plutarchus neglegeret fere fontem primarium, eligeret derivatum, praesertim cum singula in novem quoque illis capitibus e Ctesiae opere excerpta esse nemo neget?[3]) Accedunt alia. Quis est quin intellegat res initio vitae relatas a nullo facilius cognosci potuisse quam a Ctesia, cum narrentur res aulicae ad regem eiusque familiam pertinentes? Quas quis melius cognovisse potuit eo viro, qui ipse dicit septendecim se annos in aula versatum esse inter regis reginaeque comites? Quis plura explorare potuit quam medicus regis, reginae familiaris, qui cum sibi tabularium regium patuisse narravit, tum ex aulicis quae ipse de regis vita non viderat sine magno labore comperire poterat, etiamsi res erant obscuriores? Ergo Plutarchus quamquam haec ei erant notissima, tamen in Artaxerxis vitae initio Ctesiam non praeter ceteros quem sequeretur habuit dignum? Neque vero omittendi sunt huius vitae partis ei loci, quibus

---

[2]) De tota narratione Plutarchus cum Photio bene congruit, cum apud utrumque inveniatur nomen *Ὀνοτάκης* et post alios ministros denique interficiatur Gigis, quam a rege ipso capitis damnatam esse tradunt.

[3]) Liceat hic mentionem facere Ad. Schmidtii doctrinae, qui in commentationibus Periclis vitae additis, quamquam singulis argumentis non multis persuasit, tamen praecepta dedit omnibus eis, qui Plutarchi fontibus operam navent, utilissima. Qui bene mihi videtur monuisse (Perikles II p. 47) Plutarchum in omni vita conscribenda id agere, ut auctorem aliquem primarium historicum haberet principalem; qua in re id simul eum spectasse, ut eligeret maxime copiosum.

Ctesias nominatur a Plutarcho. Ter igitur in novem his capitibus commemoratur Ctesias, bis Dino. Atque cum in cap. IX Plutarchus illo nominato quomodo de levissimis rebus certa scire potuerit declarare velit, in capp. I et VI opponuntur Ctesias et Dino, ita ut his locis sequatur Plutarchus Ctesiam, quem aliis plura scire debere planis verbis profitetur. Quas omnes rationes tales esse mihi persuasum est, ut suspicari fere cogamur Plutarchum Ctesiam in vitae primis quoque capitibus secutum esse; qua de coniectura ego quidem adeo non dubito, ut etiamsi deessent alia argumenta unicuique haec sententia videri deberet verisimillima. Quaeramus igitur quibus rebus offendantur viri docti!

Ac primum quidem sunt quos offendant Plutarchi de Ctesia iudicia quae in Artaxerxis vita leguntur. Ea enim obstare videntur, ne Ctesias principalis Plutarchi fons putetur; in haec ergo iudicia nobis nunc est inquirendum. Atque ex eis, quae supra dixi de Ctesia aulae Persicae sodali, id manifestum est neminem huic auctori praeferri posse in rebus, quibus ipse interfuit, nisi forte quis existimat sua sponte a veritate Cnidium abisse; nam quin potuerit ille de his rebus vera dicere dubium non est. Quod iam Plutarchus quo erat iudicio bene intellexit; quare ubicunque ille narrabat res simplices, in quibus omnis suspicionis causa aberat, illum sequi non dubitavit, ut eum, cui fides deberetur, id quod verbis mentione dignis dixit in cap. I: *ἀλλὰ τὸν Κτησίαν, εἰ καὶ τἆλλα μύθων ἀπιθάνων καὶ παραφόρων ἐμβέβληκεν εἰς τὰ βιβλία παντοδαπὴν πυλαίαν, οὐκ εἰκός ἐστιν ἀγνοεῖν τοὔνομα τοῦ βασιλέως, παρ᾽ ᾧ διέτριβε θεραπεύων αὐτὸν καὶ γυναῖκα καὶ μητέρα καὶ παῖδας* et in cap. VI: *Κτησίας ... ὃν οὔτε ἀγνοεῖν τὸν χρόνον εἰκός ἐστι παρόντα ταῖς πράξεσιν, οὔτε ἑκὼν αἰτίαν εἶχεν ἐκ τοῦ χρόνου μεταστῆσαι τὸ ἔργον ὡς ἐπράχθη διηγούμενος.* His igitur locis cum de nominibus persicis et de temporibus Ctesiae auctoritatem anteponat aliis scriptoribus, contra minime fidem ei habet, si qua nascitur suspicio de eius levitate. Ut ergo iam legimus quae dicit de Ctesiae amore fabularum, ita ea reputanda sunt, quae sequuntur in cap. VI verba supra allata: *οἷα πάσχει πολλάκις ὁ λόγος αὐτοῦ πρὸς τὸ μυθῶδες καὶ δραματικὸν ἐκτρεπόμενος τῆς ἀληθείας,* ubi iterum fabulas illas vituperat et institutam narrandi rationem, quae cum veritate saepe male congruat; denique conferenda sunt ea quae exstant in cap. XIII: *ἐκεῖνο δὲ τοῦ Κτησίου λαμπρὸν ἤδη ψεῦσμα.* Jam vero quando minime liceat Ctesiae credere exponit Plut. cap. XIII: *ἀλλὰ δαιμονίως ὁ Κτησίας, ὡς ἔοικε, φιλότιμος ὢν καὶ οὐχ ἧττον φιλολάκων καὶ φιλοκλέαρχος ἀεί τινας ἐν τῇ διηγήσει χώρας ἑαυτῷ δίδωσιν κτλ.* Quibus causis commotus tribus praecipue locis Ctesiae narrationi denegat fidem, primum c. XIII, ubi *φιλοτιμία* scriptoris ei scrupulos movet, deinde eadem de causa c. XXI, tum c. XVIII (*ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὐκ ἄδηλον ὡς ἐπιτραγῳδεῖται*[4]) *τῇ Κλεάρχου μνήμῃ*).

Quid? ex eis quae attuli de Ctesia iudiciis num concludi potest id, quod concluserunt nonnulli, fieri non potuisse, ut talem scriptorem praeter alios Plutarchus sequeretur? Minime; immo vero eum qui sic iudicet de scriptore permulta ex eius opere exhaurire potuisse contendo, ut revera in capp. XI—XVIII Ctesia uno utitur Plutarchus auctore. At ne licuit quidem historico satis prudenti talem scriptorem, quamquam eius vitia bene noverat, neglegere, dummodo caveret ne quando, ubi suspicio adesset, ab eo deciperetur. Ac profecto laudem Plutarcho tribuendam esse puto, qui ne de sua fide lector dubitaret, iudiciis illis quantam adhiberet cautionem demonstravit.

Tamen bis Plutarchus mihi intellexisse non videtur se falsa e Ctesiae opere in suum transferre, primum quidem cum scripsit in cap. II: *καὶ γὰρ εἶχεν εὐπρεπῆ λόγον ἡ Παρύσατις, ᾧ καὶ Ξέρξης ὁ παλαιὸς ἐχρήσατο, Δημαράτου διδάξαντος, ὡς Ἀρσίκαν μὲν ἰδιώτῃ, Κῦρον δὲ βασιλεύοντι Δαρείῳ τεκεῖν.* Quorum verborum de origine et fide cum in quaestiunculis Ctesianis, quae insunt in commentationibus,

[4]) De vocabulo *ἐπιτραγῳδεῖν* a Plutarcho non raro adhibito cf. Bähr. observation. crit. in Plut. vit. Artax.: Melett. Creuzeri III, 1819 p. 69.

quas Ottoni Ribbeckio gratis animis obtulerunt discipuli Lipsienses, satis copiose ita disputaverim (p. 197 sqq.), ut non nullis rem comprobasse mihi videar, nunc satis habeo significare falsum esse quod a Ctesia narratur Cyrum esse natum cum regnaret Dareus; porro cum Ctesias sine dubio verum sciverit, apparere eum consulto falsa tradidisse, ut Cyrus iustus Darei successor duceretur. Sed ne multa! si quaeras de hac re, adeas quaeso illum locum, ubi plura invenies. — Alter est locus a nobis tractandus de Clearcho, de quo Plutarchus dicit cap. VI haec: *Λακεδαιμόνιοι μὲν οὖν σκυτάλην πρὸς Κλέαρχον ἀπέστειλαν ὑπηρετεῖν Κύρῳ πάντα κελεύοντες.* Quae verba quisque cognoscit pugnare cum Xen. anab. I 1, 9: *Κλέαρχος Λακεδαιμόνιος φυγὰς ἦν* (cf. II 6, 2 sqq. ubi plura invenies) et cum Diod. XIV 12, qui narrat Clearchum restitisse magistratuum Lacedaemoniorum imperio et in Ioniam fugere coactum esse. Quibus de locis nunc quaeritur, utrum hi an Plutarchus rem veram tradiderint. — Koch (d. Zug der Zehntausend p. 9) et Smith cum sibi persuaserint ea quae de Clearchi immodestia narrarentur composita esse a Cyro et Spartanis, ne hi auxilio publice misso Persarum regis in odium inciderent — cui rei bene convenire videtur quod Diod. XIV 21 Spartanos clam auxilia misisse dicit — Plutarchi comprobant narrationem. Cuius unius hoc testimonio freti viri docti, qui ne ipsi quidem sententiam suam fulciri posse Isocratis verbis (VIII 98. XII 104) existimaverint, Xenophontis auctoritatem et Diodori verba reiecerunt, quasi non ipse secum pugnaret Plutarchus, cum cap. VIII dicit: *ἀναβεβηκὼς μηδενὸς ἀναγκάζοντος.* Sed ut ego adsentiar his viris doctis multum abest. Nam cum Diodori auctor non ignoraret Spartanorum auxilia clam a magistratibus missa esse, nonne eundem si Clearchus eodem modo missus esset hoc comperturum fuisse putabimus? Quid? Xenophontem fugisse existimabis Clearchum ephororum iussu ei expeditioni interesse? num adeo rem occultari potuisse quisquam credet? At si rei conscius erat, cur in Anabasi eam obtegere debuit Lacedaemoniorum gratia, postquam post illud tempus diu Persarum rex cum Lacedaemoniis bello pugnavit? [5]) Minime vero credibile est Xenophontem, si alia scivisset de Clearcho,

---

[5]) Initio saeculi quarti cum Lacedaemonii satrapis Asiae minoris Thibrone Dercylida Agesilao ducibus bellum inferrent, quin tum rex cognoverit, quanta necessitudine Lacedaemonii cum Cyro fratre coniuncti fuissent dubium esse non potest; quare postea nec potuerunt haec auxilia obtegere neque erat causa cur facere vellent. Quod si reputabis, facile intelleges ne Xenophonti quidem, quamquam aliquamdiu Lacedaemoniorum amicitia et hospitio usus est, causam fuisse cur horum auxilia adfuisse negaret, nedum opus esset hac de causa mendacia proferri de Clearcho eiusque vita et moribus. Sed etiamsi Lacedaemonii id egissent, ne quid comperiret rex Persarum de rebus antea gestis, tamen ea, quae in libro suo de hac re diceret Xenophon, magnum periculum illis afferre non potuerunt; neque enim erat Spartanus cuius confessione reipublicae noceri posset neque verisimile est illis temporibus libros tam celeriter in alias terras perlatos esse et ad ipsum regem Persarum eiusque aulicos pervenisse, quam nos quidem nostris temporibus suspicamur. Equidem igitur dubito, an libri modo in publicum editi illa aetate brevi tempore in barbarorum terris ita pervulgati fuerint, ut periculum aliquod ex eis existere posset. (Esse viros doctos qui Xenophonte vivo Anabasin in publicum prodisse omnino negent, paucis monere satis est cf. Lincke Herm. XVII. 1882. p. 282). — Sed quod praeter alia quaerendum erat, estne verum Xenophontem auxilia illa Lacedaemoniorum silentio praeterire? an non disertis verbis et anab. I 4, 3 et I 2, 21 *τριήρεις Λακεδαιμονίων* commemorat? nonne I 4, 2 ubi iterum *αἱ ἐκ Πελοποννήσου νῆες* nominantur, is qui navibus praeest Pythagoras *ναύαρχος* vocatur, quo titulo classium praefecti Spartae publice appellabantur? (Pythagorae cuiusdam nomen in nummis legitur saeculi quinti partis alterius, cf. Head, coinage of Lydia and Persia 1877 p. 48 sq. Estne noster, qui in Persis nummos cudebat?) — Itaque non quod auxilia illa Spartanorum non commemorentur mirari licet; id fortasse miraberis eum non tot verbis quot Plutarchum sive Ctesiam narrasse, quae promisisset Cyrus sociis belli. At in rebus, quae antecedunt bello, narrandis Xenophon brevis est (cf. F. Reuss, Krit. und exeget. Bemerk. zu Xen. Anab. Wetzlar 1887 Progr. p. 3); sed quod amici eius Spartani non libenter admonebantur de expeditione illa cui interfuerant (quaest. Ctes. pag. 201), eum paucis verbis rem tetigisse patet. — Atque hoc nunc constare mihi videtur non licere e verbis, quibus Xenophon commemorat Spartanorum auxilia, quidquam concludere de tempore, quo editi sint Anabasis libri, id quod Krügerum (Authentia Anab. p. 4. n.) secutus nuper voluit Roquette (de Xenoph. vita. Regim. 1884 p. 63), qui quaerit tempus, quo regis Artaxerxis

cum de eius moribus dissereret (II 6, 3), immodestiam ei crimini daturum fuisse, quo crimine eius naturae et ingenio certe maculam aliquam aspersisset. — Sed redeamus ad Smithii sententiam! Qui cum pro certo haberet Lacedaemoniorum interfuisse auxilium Cyro missum celari, Ctesiam non esse auctorem illorum Plutarchi de Clearcho verborum putat, quod Ctesias e Persis reversus Lacedaemone versatus sit; quare a Dinonis auctoritate illa profecta esse iudicat. Sed quid opus est multis haec verbis refutare? nonne huic rationi idem est contrarium, quod quo tempore Ctesiae *Περσικά* in publicum prodierunt bellum inter Artaxerxem et Lacedaemonios exortum erat? Ego igitur quin in hac quoque re Xenophonti sit ante omnes fides habenda non dubito, et si interroges quo Plutarchi illa de Clearcho verba spectent nequaquam haeream, cum mihi constet Ctesiam *φιλοκλέαρχον* [6]) non solum amici exsilium lectores celasse, sed etiam ei locum tribuisse, quem revera obtinebat Chirisophus, qui praeerat Lacedaemoniorum copiis (Xen. Anab. I 4, 3. Diod. XIV 21, 1.). — At enim is non potuit hoc modo mendacia fingere, qui Susis profectus Spartae vixisse dicitur (Smith p. 29). At de posteris Ctesiae annis id unum constat nil constare; quare neque quando neque ubi neque quomodo libros ediderit scimus (cf. Ed. Meyer, Ctesias S. 153: Allg. Encycl. d. W. u. K.); non autem Spartanis libros scriptos fuisse inde concludere licet, quod Ionum non Dorum sermone confecti erant (cf. Phot. ed. Bekk. p. 45a.)

De his igitur iudiciis, quae inveniuntur de Ctesia in Plutarchi libro, quid Smith (p. 5) sentiat non est neglegendum. Qui cum illa repugnare putet ei rei quod nonnullis in capitibus Ctesias Plutarchi auctor sine dubio sit, cumque ex Artaxerxis vita censeat cognosci posse infestissimum Cnidio fuisse Dinonem, qui post illum scripsit *Περσικά*, ex huius libris haec iudicia derivata esse existimat. Quare eis locis, quibus de Ctesia minus aeque iudicatur, Dinonis Plutarchum libris usum esse contendit, qua coniectura subsidia quaedam sibi parasse videtur ad fontes discernendos. At de priore Smithii argumento quid multa dicam? Quis est qui putet Plutarchum alterius scriptoris de Ctesia iudicium in suum librum transtulisse idemque in libro conscribendo neglexisse? Magis iuvat quaerere num recte Smith adversarium fuisse Dinonem Ctesiae dicat, id quod ex Artaxerxis vita, cum nusquam saepius hi scriptores inter se opponantur, optime cognosci potest. — Atque quin Dino illius libros bene noverit vix quisquam dubitabit (cf. Rüter, de Ctesiae Cnidii fide et auctoritate. Bielefeld 1873. Progr. p. 14); quamquam enim Dinonis fragmento XIX haec res parum comprobari potest, tamen Ctesiae notissimi de Persis libri ei, qui post de eadem re scripsit, incogniti esse non potuerunt, qua re apparet non nescium hunc ab illius narrationibus discrepasse. Id autem facile cognosces de Ctesia Dinonem omnino aliter iudicare ac Plutarchum. Nam cum hic eis modo locis de Ctesiae fide dubitaverit, quibus suspicio certa subesset, Dino saepius dubitat, ut etiamsi absunt suspicionis

---

gratiam Lacedaemonii petierint. Ac vereor, ne circulo vitioso quem dicunt erret Roquette, cum ex Xenophontis cum Lacedaemoniis consuetudine concludat studuisse Xenophontem dissimulare illa auxilia, ex hoc autem silentio rursus efficere velit tum scriptorem usum esse Spartanorum hospitio.

[6]) Etiam in Photi brevi epitoma *φιλοκλεαρχίας* Ctesiae vestigia satis saepe nobis occurrunt. Nam hic is esse videtur, qui omnibus Graecis praesit, ut alii duces iuxta eum multo minore utantur auctoritate; amicus est familiaris Cyri, qui si illi uni viro prudentissimo ante pugnam esset obsecutus non cecidisset. Unus deinde apud Ctesiam perspicit dolos illos, quibus Tissaphernes Graecorum duces in suam redigit potestatem, cum apud Xenophontem idem a Tissapherne commotus se cum omnibus ducibus in illius castra venturum esse promittat idque perficiat. Dum denique captus Babylone deducitur, undique homines concurrunt ut illum videant; iam autem in vinclis Parysatidis benevolentia atque cura aliquamdiu servatur; quae cum Statirae insidiis ille perierit, regis uxore veneno sublata eius mortem ulciscitur. Mortis autem Clearchi bis secundum Photium mentionem fecerat Ctesias, cum narraret de miraculis, quae in eius sepulcro conspiciebantur. (cf. Plut. Ktes. § 58—62.)

causae tamen ei obsistat. Velut ita discrepat a Ctesia de nomine, quod Artaxerxi fuerit, priusquam rex factus est (cap. I); item differunt (cap. XIX) de nominibus Betara et Melanta; Statiram Cyri belli temporibus mortuam esse adversus Ctesiam contendit Dino (cap. VI); et de Cyri morte, quam oculis fere conspexit Ctesias, alia atque hic tradidit (cap. X) et de Statirae obitu (cap. XIX); nec magis consentiunt de magnitudine exercitus, cui Artaxerxes praeerat in pugna Cunaxensi (cap. XIII). Atque si ea statim fragmenta adhibemus Dinonis, quae etsi non spectant ad Artaxerxis vitam tamen cum Ctesia possunt comparari, de Semiramide, de qua multis verbis hic narraverat, ille alia tradidit (fr. 1) nec non de Niteti, quam Cambysis fuisse matrem Dino uxorem Ctesias dixit (cf. Dino fr. 11 Ctes. fr. 37 M.). Etiam in fr. 1[a] Dino Ctesiae obstitisse putandus est, si quidem de nomine *Ἀθήναιος* recte iudicaverit Müller, de qua re ego dubito (cf. Rhein. Mus. XLI 1886 pag. 322, 1). Commemoratione denique est dignum uno loco Dinonem (fr. 19) et Ctesiam ita consentire, ut de coniunctione quadam non dubitemus. -- Id igitur constat recte intellexisse Smithium fuisse dissensiones inter Ctesiam et Dinonem; qua in re hic illius libris minus prudenter usus est Plutarcho; nam Dino cum et ipse non semper Cnidio esse fidem habendam cognovisset, de hac dubitavit in rebus satis certis, de quibus Ctesias aliis auctoribus erat anteponendus. Quem autem sit secutus auctorem, de hac re nihil conicere audeam; fortasse ea ipsa de causa suum adhibuit auctorem, quod aliter scripserat de rebus atque is, cuius narrationes praeter alias tum legebantur. Id quoque denique minus constat, utrum Dino ipse suas narrationes opposuerit Ctesiae narrationibus, ut hic suas Herodoti aliorum historiis, an more sit factum scriptorum veterum, ut infestissimi nobis esse videantur (cf. Ad. Schmidt, Perikles II p. 42 sq. 50), cum veteres scriptores tum auctores nominare solerent, ubi inter se dissentiebant.

Atque quoniam quam variis modis Dino et Plutarchus Ctesiae opere usi sint, satis multis verbis exposuimus, id manifestum fore puto Smithii opinionem, qui Plutarchi iudicia Dinoni tribuit, nos quidem nostro iure improbare. Cum autem id imprimis sit quaerendum in hac re, num ipse Plutarchus alibi de fontibus quibus utitur iudicet, unusquisque qui operam dedit his rebus non nescit, quam saepe legantur talia de scriptoribus iudicia in vitis parallelis. Atque cum satis sit, unum exemplum certissimum afferre nostrae vitae, ubi initio cap. VIII haec dicit: *τὴν δὲ μάχην ἐκείνην πολλῶν μὲν ἀπηγγελκότων, Ξενοφῶντος δὲ μονονουχὶ δεικνύοντος ὄψει, καὶ τοῖς πράγμασιν, οὐ γεγενημένοις, ἀλλὰ γινομένοις, ἐφιστάντος ἀεὶ τὸν ἀκροατὴν ἐμπαθῆ καὶ συγκινδυνεύοντα διὰ τὴν ἐνάργειαν, οὐκ ἔστι νοῦν ἔχοντος ἐπεξηγεῖσθαι πλὴν κτλ.*, tamen habes alia de Theopompo Lys. c. XXX, de Phylarcho Arat. c. XXXVIII, non pauca collecta apud Ad. Schmidt, Perikles I 214 sq., unde facile intelleges non raro Plutarchum et de virtutibus et de vitiis fontium nonnulla adnotare. Neque vero omittam quam perversum sit id quod dicit Smith, ea quoque re quod iudicia illa legantur locis (cap. I et VI), quibus Dino et Ctesias opponantur, probabile fieri ea Dinonis esse. Qui leget, quae scribit ibi Plutarchus de Ctesia, eisdem locis Dinonem eadem illa iudicia praebuisse putare non potest. Quis autem est qui non facile sibi persuadeat eum scriptorem, qui quibus virtutibus Cnidii opus praestaret recte vidit, de vitiis quoque eius vera intellexisse? Cui sententiae nescio an alia conveniant. Nam cum pateat ex eis Ctesiae vitiis, quae in cap. XIII Plutarchus commemorat, et *φιλοτιμίαν* et *φιλοκλεαρχίαν* non tam ad totum opus pertinere quam ad res, quas ipse viderat scriptor, quamquam Dinonem, qui sine dubio omnibus illius libris usus est, vitia illa vidisse non negem, tamen fortasse verisimilius sit Plutarchum, qui accuratissime extremam librorum partem cognoscere debebat, ipsum primum haec vitia vituperasse.

Quoniam igitur vidimus iudicia Plutarchi non obstare quin scriptorem, qui a cap. XI usque ad

cap. XIX Ctesiae auctoritate usus est, in primis quoque capitibus eius libros adhibuisse putemus, nunc quaeramus, quaenam sit necessitudo inter haec Plutarchi capita et Photii epitomam. Cuius epitomae auxilio cum praecipue alteram Artaxerxis vitae partem ad Ctesiam referre possemus, recte miraremur, si deessent ea omnino in capp. I—IX, quae cum Photio comparationem habent. Quare non supervacaneum mihi esse videtur paucis verbis hic demonstrare, quibus locis cum Photio congruat Plutarchi vitae initium.

In cap. I igitur Plutarchus dicit *ὁ δὲ δεύτερος (Ἀρτοξέρξης) ... Μνήμων ἐπικληθεὶς ἐκ θυγατρὸς ἦν ἐκείνου* (i. e. Artaxerxis prioris). *Δαρείου γὰρ καὶ Παρυσάτιδος παῖδες ἐγένοντο τέσσαρες, πρεσβύτατος μὲν Ἀρτοξέρξης, μετ' ἐκεῖνον δὲ Κῦρος, νεώτεροι δὲ τούτων Ὀστάνης καὶ Ὀξάθρης.*[7]) His cum verbis confer primum ea, quae exstant apud Photium § 44: *ἔτι δὲ παῖδες αὐτοῦ* (i. e. Artaxerxis prioris) ... *καὶ Παρύσατις ... αὕτη ἡ Παρύσατις Ἀρτοξέρξου καὶ Κύρου μήτηρ ἐγένετο*, deinde § 49, ubi Ctesias se ex Parysatide ipsa audivisse narrat illam tredecim peperisse liberos, quorum quattuor pueros esse superstites et Ctesias et Plutarchus (cf. c. V) narrant. Quid? si consentiunt de numero scriptores, nonne eosdem apud eos pueros servatos iudicari verisimile est? Sed de eorum nominibus alius est locus ubi disseram. — Sed de Cyri nomine, quod de nomine solis persico sumptum esse dicit Plutarchus (cap. I), sequi eum Ctesiam recte iam intellexit Haug p. 91 (cf. Phot. § 49: *καὶ τίθεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἡλίου Κῦρον)*; accedit quod id ex Photii epitoma manifestum est, Ctesiam quoque hoc de nomine verba fecisse eo loco, quo narrabat de Cyro minore. Qua in re vide, quomodo mutatum sit virorum doctorum iudicium! Nam cum Haug olim, qui bene Ctesiam de Cyri nomine iudicasse dixit, ei uni, quia linguae persicae peritissimus esset, nominis originem notum fuisse putaret, hodie viri docti hinc rudem fuisse persicae linguae Ctesiam coniciunt. (cf. E. Meyer, Kyros p. 57: Allg. Encycl. d. W. u. K. Bréal, de pers. nomin. apud script. graec. Paris 1863 p. 23 sqq. Keiper, d. Pers. d. Aisch. Erlang. 1877 p. 84 sqq. Vide autem quae his diebus de hac re scripsit Eugène Wilhelm, la patrie et l'Origine de Cyrus. Muséon. Louvain. 1889 p. 7.) — Jam quin ea, quae Plut. cap. II. narrantur de Artaxerxis uxoris amore, e Ctesiae libris sumpta sint, ne Smith quidem dubitat (p. 31), qui comparat Photiana § 53—56; quod autem apud Plutarchum desint nomina, quae fortasse desideres, minus mireris, siquidem Plutarchi, dum de Artaxerxis moribus verba facit, quaenam essent nomina significare non valde intererat. — Etiam Dareum regem ante mortem aegrotum fuisse et Plutarchus et Ctesias (Phot. § 57) narraverunt, qui ipsi Cyrum paulo postquam frater rex factus est, in aula regia versatum esse commemorant; ipsis autem verbis Photius cum Plutarcho congruit, his (§ 57): *βασιλεύει δὲ Ἀρσάκης ὁ μετονομασθεὶς Ἀρτοξέρξης*, apud Plut. cap. II: *ὁ πρεσβύτερος ἀπεδείχθη βασιλεὺς Ἀρτοξέρξης μετονομασθείς*. Quo loco cognoscere licet, quam arte interdum Plutarchus verba sequatur Ctesiae,[8]) Ctesias autem Herodoti; nam cum Plut. c. II dicat: *ὡς Ἀρσίκαν μὲν ἰδιώτῃ, Κῦρον δὲ βασιλεύοντι Δαρείῳ τεκεῖν*, apud Herodotum VII 3 legimus: *ὡς αὐτὸς μὲν γένοιτο Δαρείῳ ἤδη βασιλεύοντι ..., Ἀρτοβαζάνης δὲ ἔτι ἰδιώτῃ ἐόντι Δαρείῳ.* — Tertio autem

[7]) Apud Ctesiam quoque Artaxerxem Longimanum Xerxis filium nominari vix commemorare attinet.

[8]) Quin Ctesiae verba ipsa interdum in Photii epitoma servata sint nemo dubitabit, qui aliorum scriptorum libros comparabit cum Photii epitomis. Conferas velim Arr. anab. VI 28, 6: *ἐστε ἐπὶ τὴν Σουσιανῶν τε γῆν καὶ τοῦ Τίγρητος ποταμοῦ τὰς ἐκβολάς* et Phot. p. 68a 39 sq. Bkk.: *ἐς τὴν Σουσιανῶν γῆν ... καὶ τοῦ Τίγρητος ποταμοῦ τὰς ἐκβολάς.* — Arr. anab. VII 28, 1: *ἐβίω δὲ δύο καὶ τριάκοντα ἔτη καὶ τοῦ τρίτου μῆνας ἐπέλαβεν ὀκτώ ... ἐβασίλευσε δὲ δώδεκα ἔτη καὶ τοὺς ὀκτὼ τούτους μῆνας* et Phot. p. 68b 37 sqq.: *ἐβίω δὲ β' καὶ λ' ἔτη καὶ τοῦ τρίτου μῆνας ἐπέλαβεν ὀκτώ· ἐβασίλευσε δὲ τούτων τούς τε ὀκτὼ μῆνας καὶ ἔτη ιβ'.* Idem docet comparatio Indicorum Ctesiae fragmentorum et Photii excerptionum; singula autem vocabula certe saepius in epitoma integra manserunt. cf. Herodian. II 14, 2: Phot. p. 85a 11, Herodian. V 4, 6: Phot. p. 85a 35.

capite Plutarchus enarrat, ut Pasargadis Artaxerxes rex consecratus sit, qua in re Cyrus fratris vitae insidias parabat. Quod caput iam Haug Ctesiae tribuerat, Smith tamen num recte iudicavisset vir doctus dubitabat. Photium enim haec, si apud Ctesiam invenisset, silentio non praeteriturum fuisse putavit. Sed quod ex silentio hic argumentum ducit, de hac ratione alibi loquar; minime autem hic licet eum sequi. Nam quamquam brevis est in hac re Photius, cum dicit § 57: *διαβάλλεται Κῦρος ὑπὸ Τισσαφέρνους πρὸς Ἀρτοξέρξην τὸν ἀδελφὸν καὶ καταφεύγει Παρυσάτιδι τῇ μητρὶ καὶ ἀπολύεται τῆς διαβολῆς*, unicuique qui haec verba comparat cum Plutarchi capite III Plutarchum hic Ctesiae narrationem pluribus verbis referre apparet. An putas hanc rem dubiam esse posse, etsi uterque tradit paulo postquam Artaxerxes rex esset factus, has insidias esse paratas, Tissaphernem Cyrum accusavisse, Parysatidem matrem eum servasse, ut absolveretur et ira inflammatus in satrapeam, quam antea tenuerat, mitteretur? Quae cum optime omnia congruant, non omittam, quod apud utrumque legimus vocabulum *διαβολή*, quo et hic et alibi interdum non tam maligna criminatio dicitur quam ipsa accusatio (cf. Plut. cap. XXIX). Neque vero haerebis in ea re, quod Pasargadis rem factam esse Plutarchus non commemorat, quod suo iure ut minus grave pratermisit. — Mantey igitur (p. 6) cum ne ipse quidem neget bene consentire scriptores, tamen num Ctesias hic Plutarchi auctor esset dubitavit. Vix enim credibile esse eum, qui testis fere et spectator de illo facinore narravisset, varia de eo tradidisse, id quod esset in Plutarchi capite (*οἱ μὲν ἐκ ταύτης τῆς διαβολῆς τὴν σύλληψιν γενέσθαι φασίν, οἱ δὲ καὶ παρελθεῖν τὸν Κῦρον εἰς τὸ ἱερὸν καὶ παραδοθῆναι κρυπτόμενον ὑπὸ τοῦ ἱερέως*). Quid? ea quae altero loco (*οἱ δὲ κτλ*) referuntur, nonne a Plutarcho alio ex fonte hausta esse possunt, nisi ipse Ctesias huius narrationis, cui fidem non haberet, mentionem fecerit? Ex his autem ipsis verbis, quae dubitationem iniciunt Manteio, ego maiorem capitis partem e Ctesiae libris manasse coniciam. Nam cum ea narrationis forma, quae paucis illis verbis commemoratur, a Ctesia probata esse non possit, id quod satis docent Photii verba *ἀπολύεται τῆς διαβολῆς* (Smith p. 10), Smith unde sumpta sit non dicit, cum priorem tribuat Dinoni. Quid? verisimile num est Plutarchum, qui et antea et post Ctesiam adhibebat, quippe qui optime de hac re edoctus esse posset, eum hic plane neglexisse? Atque id fortasse non nullius est momenti, quod in tertio quoque capite Cyri spei mentio fit, qui sibi regnum parare studuerat, qua de re Ctesiam secutum Plutarchum capite secundo narrasse scimus. — Sed ut in ea re, de qua satis iam disputavimus, Photii pauca illa verba optime declarantur ea narratione, quae apud Plutarchum est, ita verba Photii (§ 58) *θάνατος Κύρου ἀπειθοῦντος Κλεάρχῳ* quid velint comperimus e Plutarchi cap. VIII; ubi cum ante pugnam Cunaxensem Clearchus Cyrum adhortetur, ne nimis acriter ipse hostes adoriatur utque primam aciem vitet, Cyrus respondet minime sibi, qui regnum petat, tum cum summa rerum agatur regno indignum se praestare licere; quibus verbis Plutarchus adicit *ἁμαρτόντος δὲ Κύρου μέγα τῷ δῦναι προπετῶς εἰς μέσα τὰ δεινὰ καὶ μὴ φυλάξασθαι τὸν κίνδυνον κτλ*. — Reliquum est, ut dicam non solum cum Photio nonnulla bene convenire ex capitibus primis Plutarchi, sed etiam cum cap. XV, quod Ctesiae esse satis constat, cap. IX aliquo modo cohaerere. Nam in utroque capite Artagerses contra Cyrum hastam misisse et eum non vulnerasse narratur. Quod quamquam Dinonem quoque narravisse non nego, tamen cum in ipso cap. IX Ctesias nominetur, nihil omittam, quod sententiam meam fulcire possit; quam alio quoque modo nos firmaturos esse spero.[9])

Esto: sunt nonnullae res quibus Plutarchus convenit cum Photii epitoma. Verum tamen discrepant idem aliis rebus; ac primum quidem nomina quaedam diversa esse nemo non intellegit.

[9]) Si Plutarchus dicit cap. II: *Κῦρος ἔντονόν τι καὶ σφοδρὸν εὐθὺς ἐκ πρώτης ἡλικίας εἶχεν*, hoc confirmatur Plutarchi cap. XI Ctesiano; sed Dinonis quoque Cyro bene illa verba conveniant.

At quis mirabitur, quod Persarum nonnulla nomina et Graecorum scriptoribus et librariis minus nota corrupta tradita sunt, cum praesertim inde a Cnidii medici codice usque ad Photii libros nobis servatos multorum hominum manibus ea vexata esse appareat. Quare nonnullae quidem discrepantiae minores esse videntur, quam quae cuiquam scrupulos moveant, ut nomen *Γίγις*, quod legitur apud Plut. cap. XIX (cf. Suid. s. v.), cum Photii libri (§ 61) praebeant formam *Γίγγη*. Quo loco ne Plutarchus quidem, qui Ctesiae et Dinonis libros inter se comparavit, hos discrepasse dicit. — Neque magis ea re offensi sunt viri docti, quod eunuchus, quem Plut. cap. XVII vocat *Μασαβάτης*, apud Phot. § 59 *Βαγαπάτης* nominatur, qua de differentia quid Haugio auctore senserint quidam, qui nominum originem explorare conati sunt, apud Mantey p. 15 invenies (cf. Bréal p. 14); equidem cum de Haugii coniectura iudicare non meum sit non moror hac in re. — Sed in eis capitibus, quae ante alia perscrutamur, nomen nobis occurrit, quod Artaxerxi fuit priusquam rex factus est (cap. I), quod *Ὀάρσης* vocabatur a Dinone, *Ἀρσίκας* a Ctesia, cum Photius (§ 53) eum nominet *Ἀρσάκης*. Atque si sequeris virum doctissimum Nöldekium (Aufsätze zur pers. Gesch. p. 61, 1), non dubitabis quin veram formam servaverit Plutarchus, peccatum autem sit a librariis, qui in Photii libris pro raro nomine scripserunt notius *Ἀρσάκης*. Quod si verum est, cave amplius ne Arsacidarum nomen conferas cum hoc Artaxerxis nomine, id quod secundum Arriani Parthica (ap. Phot. bibl. p. 17a 35 Bkk.) nuper iam voluit Gutschmid (Geschichte Irans p. 30). — At magis fortasse dubitabis de nominibus Artaxerxis fratrum, de quibus ipsis Photius et Plutarchus discrepant. Iam supra commemoravimus et Ctesiam (Phot. § 49) praeter Artaxerxem et Cyrum duos Darei filios nominasse, qui incolumes mansissent, et Plutarchum (c. I) duorum mentionem facere; sed cum secundum illum eorum nomina essent Artostes et Oxendras, ab hoc vocantur Ostanes et Oxathres. Quaeritur ergo, num propter hanc discrepantiam nominum Plutarchum hic abisse a Ctesia aliumque sibi elegisse ducem putemus. Quod mihi fateor non esse verisimile. Nam cum de Artaxerxis nomine priore Plutarchus alios scriptores Ctesiae cedere oportere dicat (cap. I), quippe qui certissima de his rebus scire debeat nec cur a veritate discederet habuerit, idem fere dici potest de nominibus regis fratrum. Quare si de his discrepavissent scriptores — id quod ne Plutarchus quidem dicit — sine dubio Plutarchus secutus esset Cnidium; quam ob rem quin aut Photii aut Plutarchi nomina corrupta sint nemo dubitabit. Atque nomina quae praebet Plutarchus scrupulos nemini moveant, cum aliis quoque locis eadem legantur, ut Oxathres Diod. XVII 34. 77. Arr. anab. III 8, 5 (cf. VII 4, 1), Ostanes [10]) Diod. XVII 5 etc. Contra cum neque Artostis neque Oxendrae nomina alibi exstent, Plutarchum fratrum nomina integra servasse apparet. Quae sententia aliis nisi fallor argumentis firmatur. Primum enim constat formas nominum in nostris Photii libris servatas cum Ctesia non semper congruere. Ut in Phot. Pers. § 2 nomen invenimus *Ἐκβάτανα*, cum scribat Steph. Byz.: *Κτησίας δὲ πανταχοῦ τῶν Περσικῶν τὰ παρὰ Μήδοις Ἀγβάτανα διὰ τοῦ α γράφει* (cf. Keiper p. 58 sq.); item Pers. § 6 sq. legimus nomen *Δέρβικες*, Steph. Byz. (Ktes. fr. 36 M.) dicit: *Δερβίκκαι ἔθνος πλησίον τῶν Ὑρκανῶν ..... Κτησίας δὲ Δερβίσσους*. Praeterea si verisimillimum est in Photii libris praecipue nomina librariorum manibus vexata esse, hanc sententiam exempla satis comprobant. Conferas velim

[10]) Nemo fere dubitet, quin *Ὀστάνης* nihil aliud sit nisi *Αὐστάνης* (Arr. anab. IV 22, 1), cum Graecorum o saepe respondeat Persarum au, id quod docent *Ὠρίσης* (Plut. Artax. c. IV) et Vaumiça (in inscriptionibus cuneatis cf. Spiegel Keilinschriften p. 88), *Γωβρύης* et Gaubaruva. — Qua occasione utor, ut communis iuris faciam splendidissimam Gutschmidii coniecturam, quam hic olim liberaliter mihi tradidit. Nam cum in Xenophontis editionibus legamus anab. I 2, 20: *ἐν ᾧ Κῦρος ἀπέκτεινε ἄνδρα Πέρσην Μεγαφέρνην, φοινικιστὴν βασίλειον, καὶ ἕτερόν τινα τῶν ὑπάρχον δυνάστην, αἰτιασάμενος ἐπιβουλεύειν αὐτῷ*, unumquemque, qui quomodo vocabulum *ὕπαρχος* Graecorum scriptores adhibeant scit (cf. de Asiae minor. satr. pers. p. 4 adn.), illud *δυνάστην* offendit; emendavit igitur vir singularis *Αὐστάνην*.

nomina, quae sunt in Arriani anabasi, cum Photii huius libri epitoma: pro Photii *Παγασαῖς* (p. 67b 39 Bkk.) iam Schottus emendavit *Πασαργάδαις;* pro *Ἀσκάνων χώραν* (vulg. *ἀσακάνων*) scribas *Ἀσσακήνων* (p. 68a 12) secutus anab. IV 25, 5; p. 68b 7 apud Photium legis *Ἀρσινόη,* cum Arr. VII 4, 4 praebeat formam *Βαρσίνη.* Itaque nostro quoque loco credere licet Photii nomina esse corrupta; quorum alterum *Ὀξένδρας* a nomine *Ὀξάθρης* non admodum differt; nomen Ostanis fortasse recte suspicemur eo esse corruptum, quod formae depravatae *οστης* superscriptum est *αν*, quod male lectum nomini est praepositum.

Venio nunc ad alterum argumentum quo commotus nonnullis locis Smith Plutarchum Ctesiae auctoritatem sequi negat. Cum enim iam supra dicerem de loco quodam, in quo Smith argumentum ex silentio illud, quod dicunt, adhibet, ut Plutarchum Ctesia non uti auctore demonstret, ostendere studui id quod desideraret Smith Ctesiam certe narrasse. Idem porro p. 8 opinatur Ctesiam nihil tradidisse de consiliis et spe Cyri, qui cum regnum cuperet adipisci a Parysatide omni modo adiutus est; rem autem esse maiorem, quam quae a Photio omitti potuerit. Sed hoc genus argumentorum num omnino in fontibus discernendis recte adhiberi possit cum ea de causa valde dubitem, quod saepissime ad res incertissimas nos ducit, constat mihi quidem in Photii epitomis ei locum non esse. Nam facile si comparas Photii excerptiones cum libris auctorum, intellegis Photium saepe res parvas, quae nobis parvi sunt momenti, commemorasse, alias praeterisse, quae satis docent, quam incerta sit haec ratio argumentandi. Quod nunc paucis ostendam. Plut. igitur Art. c. XIII narrat ipsum Ctesiam tradidisse post pugnam Cunaxensem se cum Phalino aliisque in Graecorum castra missum esse; quod cum Plutarchus propter Ctesiae *φιλοτιμίαν* commemoret, Photius rem plane neglexit. Iam in Arriani anabasis epitoma (cod. 91) legimus: (p. 67b 30 sqq.) *ἐν Ἰσσῷ δὲ αὐτόν τε Δαρεῖον καὶ τοὺς ἀμφ' αὐτὸν κατὰ κράτος τρεψάμενος καὶ συλλαβὼν αἰχμαλώτους παῖδάς τε καὶ αὐτὴν γυναῖκα.* Quae qui legit crediderit fortasse Arrianum unum ex omnibus scriptoribus rerum Alexandri negasse matrem regis in captivis fuisse; sed dicit Arr. anab. II 11, 9: *τό τε στρατόπεδον τὸ Δαρείου εὐθὺς ἐξ ἐφόδου ἑάλω καὶ ἡ μήτηρ καὶ ἡ γυνὴ αὐτὴ δὲ καὶ ἀδελφὴ Δαρείου κτλ'.* — Quid? quod Alexandrum in Aegyptum arma tulisse Photius apud Arrianum ne legisse quidem videtur? Sed quid multa? Etiamsi igitur Photius studiorum illorum Parysatidis et Cyri, quae Plut. cap. II commemorat, mentionem non faceret, hac ex re equidem nihil conicere auderem. At duae causae, quae praeter alias Cyri animum excitabant ad spem regnandi, in Photii epitoma satis iam cognoscuntur, cum Parysatidem filium minorem altero magis dilexisse (cf. Phot. § 57. 59) et Cyrum Dareo rege facto natum esse (§ 49) Ctesiam narrasse Photius demonstret. — Fortasse autem Noeldekii quoque coniectura, qui nomina *Μακρόχειρ* et *Μνήμων* e Dinonis opere sumpta esse opinatur (Aufs. z. pers. Gesch. p. 49. 61), nullo alio argumento fulciri potest nisi eo, quod e Photii silentio sumitur.

Sed cum de Photii excerptionum fide verba faciam, praeterquam quod in eis nonnulla praeter opinionem aut commemorantur aut omittuntur, sunt loci quibus errasse Photium aut ipsum aliquid adiecisse facile cognoscamus. Ut levitate quadam errasse videtur in Ctesiae epitoma § 58, ubi legimus *τήν τε γὰρ κεφαλὴν καὶ τὴν χεῖρα ... αὐτὸς ἀπέτεμε* (sc. Artaxerxes), cum § 59 rem ita narret, ut congruat cum Plut. Artax. cap. XVII (*τὰ περὶ Βαγαπάτου τοῦ ἀποτεμόντος προστάξει βασιλέως τὴν κεφαλὴν ἀπὸ τοῦ σώματος Κύρου.*) Qua in re non adsentieris Schottino p. 4., qui discrepantiam summovere studet, cum illud, inquit, *αὐτὸς ἀπέτεμε* non ita interpretandum ac si sua ipsius manu Artaxerxes fratris manum deciderit, quod statim ex sequentibus verbis elucet'. Equidem vereor, ne hoc *αὐτὸς* tale sit, ut nulla arte interpretandi tolli possit. — Item Phot. § 59 extrema verba scrupulos nobis movent. Nam cum Plut. Artax. cap. XV sq. narretur de adulescente Persa

Mithradate, qui quod se Cyrum necasse contendit, vitam in summum periculum adduxit, illa capita secundum communem omnium sententiam e Ctesiae libris fluxerunt. Quam rem Photius, ubi narravit de exitu Caunii illius, qui Mithradatis fortunae socius erat, commemorat ita ut discrepet a Plut. cap. XVI; nam Plutarchus dicit: *(βασιλεὺς) ἐκέλευσεν οὖν τὸν Μιθριδάτην ἀποθανεῖν σκαφευθέντα*, contra apud Photium legimus: *Ἀρταξέρξης παρέδωκεν αἰτησαμένῃ Μιθριδάτην Παρυσάτιδι ... κἀκείνη λαβοῦσα πικρῶς ἀνεῖλε.* Utri igitur habebimus fidem? Id enim constat aut Plutarchum errore oblitum esse facinoris reginae, quae apud eum regem de Mithradatis arrogantia certiorem facit, aut Photium confudisse ea, quae tradidit Ctesias de Mithradate et de Caunio,[11]) quem a regina necatum esse non solum Plut. cap. XIV sed etiam Photius narrat. Verisimilius autem mihi videtur Plutarchum qui pluribus verbis rem exponit, vera tradere, praesertim cum suspicio non absit, quin apud Photium in rebus similibus similiter Parysatis egisse dicatur. — Sed ne nimis credas Photii diligentiae iuvat denique nonnulla afferre, quae Arriani anabasin et Herodiani historias cum epitomis comparanti mihi occurrebant, quae quamquam minora sunt, tamen commemoratione digna videntur. Errat igitur Photius p. 85a 39 sq., ubi narrat de Elagabalo *Ἀντωνῖνος δὲ ἕως μὲν ἐπείθετο τῇ μάμμῃ, ἐσωφρόνει ... ἐπεὶ δὲ τοῖς κόλαξιν ἑαυτὸν ἐξέδωκεν, οὐδεμίαν ὑπερβολὴν αἰσχρότητος καὶ ἀκρασίας ἀπέλιπεν;* quo cum loco pugnant ea, quae refert Herodianus V 5, 6 Caesarem iam regni initio adulatores solos secutum esse (*καταφρονήσας τῶν ὑπὸ τῆς πρεσβύτιδος λεχθέντων*). — Saepius autem Photius parva additamenta sua sponte epitomae adicere videtur; huc pertinent verba *καὶ ὀπίσω ἀποκομίζουσιν* p. 85a 39, quibus apud Herod. V 4, 11 sq. nihil respondet. Porro cum secundum Arriani epitomam p. 67 b 38 Alexander septies in pugnis vulneratus sit (cf. p. 68a 32 sqq., ubi plura leges de eadem re), Arrianus ipse nullo loco hoc tradit, ut Photius vulnera, quae secundum Arrianum Alexander accepit, numeravisse putandus sit (cf. II 12, 1. 27, 2. III 30, 11. IV 3, 3. 23, 3. VI 10, 1. cf. 11, 7), qua in re loco ultimo peiores Arriani fontes secutus esse videtur. — Denique Photius postquam nuptias Susis factas et Hephaestionis mortem commemoravit, si Harpali Alexandri divitiarum custodis perfidi fugam commemorat, haec ex Arriani opere, quod inscribebatur *τὰ μετὰ Ἀλέξανδρον*, in anabasis epitomam videtur transtulisse.

‚At Artaxerxis regis ingenium et mores, qualia describuntur a Plutarcho non sunt ea, ut cum Artaxerxe Ctesiano conveniant'. Smith enim, qui iure monet in Plutarchi vita compluries regis clementiam laudari, hanc putat discrepare a moribus Artaxerxis a Ctesia descriptis, cum id facinus regis, quod secundum Photium primum Ctesias commemoravit, cum clementia illa male congruat. At cum disertis verbis Photius § 57 dicat: *ἐπράχθη δὲ ταῦτα σπουδῇ Στατείρας*, apparet crudelitati regis, qui per totam fere vitam a mulieribus regebatur, hoc facinus crimini dari non posse. Neque magis comprobo alterum Smithii argumentum de Artaxerxis moribus adhibitum; qui quod in tricesimo vitae capite, ubi Dino certe Plutarchi auctor est, clementiae regis mentio fit, huius virtutis commemorationem omnino Dinonis esse vestigium opinatur. Sed si qualis videatur Artaxerxes in Plutarchi libello diligentius consideraveris, nescio an aliter ac Smith iudicaturus sis. Qualis igitur est Artaxerxes primum in capp. XX—XXX, quae Ctesiae certe non esse iam supra diximus?

Qua in vitae parte regi nullam fere laudem tribui facile intelleges. Nam primum quidem cap. XXX verba modo leviter tacta *(δόξας πρᾷος εἶναι καὶ φιλυπήκοος οὐχ ἥκιστα διὰ τὸν υἱὸν Ὦχον ὠμότητι καὶ μιαιφονίᾳ πάντας ὑπερβαλόμενον)*, si accuratius perlustrabis, num laudi regi sint valde

[11]) Plutarchus ubi de Caunii morte narrat (cap. XIV), dicit: *ὁ μὲν οὖν Μιθριδάτης ἀπῆλθε σιωπῇ λυπούμενος· τὸν δὲ ἄθλιον Κᾶρα κοινόν τι πάθος ἐξ ἀβελτερίας κατέσχε*; quo loco quid sibi velit *κοινός* ego ignoro; inexspectatum autem erat malum Caunii, quare *καινόν* est scribendum.

dubitabis, cum praesertim clementiae regis in hac libelli parte testimonia omnino desint, *φιλυπήκοος* illud uno exemplo ex his capitibus sumpto probari possit (c. XXV). — Atque aeque haereo in altero loco, ubi rex laudari videtur. Plutarchus enim cum in cap. XXIV ita praedicet virtutem regis, qui in bello Cadusiorum omnes labores fortissime tulisse dicitur, ut nimis eum regem laudibus ornare manifestum sit (cf. quaestiuncul. Ctesian. p. 199), haec addit verba: *πᾶσαν τὴν δειλίαν καὶ τὴν μαλακίαν οὐ τρυφῆς καὶ πολυτελείας ... ἔκγονον οὖσαν ἀλλὰ μοχθηρᾶς φύσεως κτλ'.* Quid? quod *δειλία,* quam a rege abesse hic scriptor dicit, in cap. XXV bello confecto mores eius dedecorat? Praeterea autem omnia, quae in hac vitae parte de rege iudicantur, eius modi sunt, ut laudem regis detrectent atque minuant. Infirmo enim est animo adversus inimicos, et matrem quae uxorem veneno tollit (c. XXIII) et filii interfectores (c. XXX); ut autem c. X apud Dinonem in pugna animus et fortitudo ei deest, quam Ctesiae Artaxerxes praestat, ita c. XXV rex timidus est et metu commotus necat viros nobiles, quos in rebus adversis sibi insidias parare putat; accedit quod saepius (c. XXII. XXIII. XXIV) mutabilis eius et perfidus (c. XXVII) animus in rebus gestis cognoscitur. — Quae cum ita sint, si Artaxerxes Ctesianus, qualis in capp. XI—XIX describitur, aliquanto laude dignior esse videtur, hoc forte factum esse aut electione rerum a Plutarcho narratarum vix existimem. Quamquam enim hic quoque animo mutabili et infirmo est, ut matri se Graecorum duces captivos servaturum esse promittat, deinde uxoris precibus commotus (c. XVIII) eos interfici iubeat; quamquam vanus et omnis pietatis expers esse videtur, cum fratrem se sua manu necasse male glorietur et eis, qui idem contendunt, sublatis hanc gloriam sibi firmare studeat (c. XIV. XVI); quamquam Persarum crudelia supplicia adhibet (c. XVI. XIX), quibus quidem more sancitis etiam Artaxerxes Longimanus clementia et humanitate egregius usus est (Phot. Pers. § 30), tamen insunt in rege virtutes quaedam, quae non mediocriter eum ornent. Nam quanto amore uxorem dilexerit, secundum Ctesiam Plutarchum narrare iam supra vidimus; virtute et fortitudine in pugna (c. XI) nequaquam Cyro cedit; gratum praestat animum eis, qui beneficia ei tribuerunt (c. XII) eisque et aliis gratiam refert (c. XIV); denique ministros fideles mutua benevolentia diligit (c. XVII), quantaque fuerit humanitate et Arbacis (c. XIV) et matris fortuna (c. XIX) satis constat. — Si igitur nunc comparamus Artaxerxem, qualem invenimus in novem primis capitibus, cum eo, qui in altera et tertia vitae parte nobis occurrit, non casu fieri videtur, ut eas praecipue virtutes in eo conspiciamus, quae in parte secunda ei laudi sunt. Ita Cyro (c. II) *πρᾳότερος* vocatur et in c. IV clementia eius praedicatur, quae in capp. III et V exemplis manifesta est. Etiam grati regis animi mentio fit (c. IV) et fratrum amor ut ab aulae more discedat efficit. Qualem autem Cyrus ipse fratrem describat cum parvi sit momenti (cf. c. VI), ei loci iam commemorandi sunt, quibus vocatur (c. II) *ταῖς ὁρμαῖς φύσει μαλακώτερος* et (c. IV) *μέλλησις ... ἐπιείκεια φαινομένη τοῖς πολλοῖς* in eo inesse dicitur. — Dixerit fortasse quispiam Artaxerxis imaginem qualis est in capp. I—XIX ita esse comparandam cum tristiore aliorum capitum, ut suspicemur regis mores et naturam paullatim mutata esse, quae coniectura firmari videtur verbis, quae in cap. IV legimus, his: *ἐν ἀρχῇ δὲ καὶ πάνυ ζηλοῦν ἔδοξε τὴν Ἀρτοξέρξου τοῦ ὁμωνύμου πρᾳότητα.* At obstat huic opinioni, quod cum de clementia regis in capp. I—XIX omnino non dubitetur, in extrema libelli parte ea nequaquam agnoscatur (*δόξας πρᾷος εἶναι καὶ φιλυπήκοος οὐχ ἥκιστα διὰ τὸν υἱὸν Ὦχον ὠμότητι καὶ μιαιφονίᾳ πάντας ὑπερβαλόμενον*). Ctesiae autem bene convenit, quod Artaxerxes Mnemon initio Longimani clementiam imitatus esse dicitur, facile enim cognoscere possumus hanc virtutem prioris Artaxerxis a Ctesia imprimis laudibus ornatam esse, si conferimus hos locos: Phot. § 30 *καὶ θρηνεῖ Ἀρταξέρξης,* § 35 *καὶ ἐξαιτεῖται .... καὶ λαμβάνει,* § 39 *ἔπεμπε ... συγγνώμην ἔχειν τῶν ἡμαρτημένων,* § 40 sq. *τοῦ μὲν θανάτου ῥύεται;*

καταλλάσσεται ὁ βασιλεύς. Quid? nonne verisimile est Ctesiam quoque tradidisse regni initio regem clementem fuisse? Nam cum tum esset regis medicus, qui post pugnam Cunaxensem se dona ab illo accepisse narrat (c. XIV), ubi discordia in aula regia orta Parysatis Cnidium in suam partem traxit, aliter de Artaxerxe iudicare coepit, ut rex a quo discessit ei alius esse videretur atque is, cui serviverat.

Sed quoniam de Artaxerxis moribus satis disputavi, statim de Tiribazi natura et ingenio, quae et ipsa Smithio argumento sunt, nonnulla adiciam. Atque certe bis Tiribazus a Dinone commemoratur (fr. 24. 27 M.), praeterea quater eum nominatum esse in illius opere verisimile est (cf. Artax. c. XXIV. XXVII—XXIX), tamen inde Smithio conicere non licet quod vult, omnibus locis quibus mentio fit Tiribazi, Dinonis libros adhibitos esse. Neque enim est causa, cur in eis rebus quae narrantur in capp. V et VII Ctesiam quoque mentionem fecisse Tiribazi negemus, praesertim cum is, qui in aula regis multum sine dubio valebat, ita Ctesiae notus esse deberet, ut praeter ceteros eius naturam describere posset. Itaque quamquam ea, quae in cap. V. XXIV. XXVII de Tiribazi moribus dicuntur, simillima inter se sunt, non licet hac de causa uni fonti Dinoni ea tribuere. Repetuntur enim in capp. XXIV et XXVII ea, quae legimus cap. V (ὑπόκουφος δὲ καὶ παράφορος), cum dicat scriptor cap. XXIV πολλάκις ἀπορριφεὶς διὰ κουφότητα, cap. XXVII νῦν μὲν εὐημερῶν ὅμοια τοῖς πρῳοτάτοις, νῦν δὲ προσκρούων καὶ σκορακιζόμενος κτλ. (πρῳοτάτοις scribo pro vocabulo πρώτοις, quod in codicibus invenitur.) Quae iudicia cur a Plutarcho ipso repetita esse negem equidem nescio.

Compluribus igitur argumentis comprobari mihi adhuc videtur novem illorum Plutarchi capitum fontem principalem esse Ctesiam, quem etiam capitum XI—XIX auctorem esse scimus. Quae sententia imprimis Plutarchi et Photii comparatione confirmatur neque Artaxerxis mores, quales sunt in prima vitae parte, huic coniecturae non conveniunt; satis autem demonstrasse mihi videor neque Plutarchi de Ctesia iudicium neque discrepantias quasdam Plutarchi et Photii cum sententia nostra pugnare. Nunc igitur quaeramus, num praeterea Ctesiae historiae, quales a scriptoribus veteribus describuntur atque ex reliquiis cognoscuntur, signa quaedam praebeant, quibus in fontibus discernendis utamur. Qua in re unde rectius ordiamur, quam a Plutarchi de Ctesia iudicio, qui hunc πρὸς τὸ μυθῶδες καὶ δραματικὸν inclinare cap. VI dicit? Quod Plutarchi iudicium iustum esse exempla e reliquiis sumpta satis docent. Atque ut μυθῶδες illud, quid sibi velit intellegas, evolvas Photii § 5 (leones Astyagem mortuum custodiunt), § 45 (muli corpus mortuum exspectant), § 4 (quomodo Croesus liberatus sit narratur), § 25 (de Mardonii morte), § 60 et 62 coll. Plut. cap. XVIII (de sepulcro Clearchi), § 4 (ubi δαιμόνιον φάντασμα commemoratur), § 5 et 12 (de somniis), § 12 (de ominibus). Sed ad novem illa Plutarchi capita ea res nisi fallor non pertinet. — At δραματικόν illud in reliquiis a Plutarcho servatis fortasse facilius cognoscitur. Quod in certis Ctesiae fragmentis sane manifestum est; confer praeter fragm. 42 M. (Demetr. de eloc. § 222. 223) initia capitum XII et XIII Plutarchi, porro capp. XV et XVII. Huc pertinent etiam ea, quae legimus in fine cap. III, quod esse Ctesiae aliis iam supra de causis suspicati sumus; exstant quidem hic vestigia quaedam dramatici illius generis narrandi, ubi quomodo Parysatis filium servaverit refertur, atque eadem de causa ea, quae in cap. V de Artaxerxe et Tiribazo narrantur, e Ctesiae libris fluxisse existimem.[12])

[12]) In cap. XXVI quod Ctesiae tribuere non licet, ubi Dareo Artaxerxis filio nomen regis et Aspasia serva dono datur, accurate narratur, quomodo haec ad Cyrum olim ducta sit. Quae narratio nisi erro dramaticum illud genus narrandi ostendit, quod a Ctesiae opere non est alienum. Itaque cum Aspasiae Ctesias certe mentionem faceret, suspicor in cap. XXVI Ctesiae fragmentum exstare, praesertim cum nullo fere iure ad Heraclidem referatur (cf. fr. 7 M.) et in cap. XXVI narratio illa de Aspasiae ad Cyrum adventu necessaria non sit.

Iure autem miraremur, si Ctesiam multis rebus gestis in Persicis historiis narratis ipsum interfuisse nulla re possemus cognoscere. Atque esse locos, ubi hoc luce clarius sit, facile cognosces, si legeris quae narrantur Phot. § 49: *καί φησιν ὁ συγγραφεὺς αὐτὸς παρ' αὐτῆς ἐκείνης τῆς Παρυσάτιδος ταῦτα ἀκοῦσαι,* Plut. cap. XIII: *αὐτῷ δὲ ... φανῆναι τοὺς κειμένους,* cap. XVIII: *δεηθῆναί φησιν αὐτοῦ τὸν Κλέαρχον ὁ Κτησίας κτλ';* conf. Phot. Ind. § 4. Etiam in eis Plutarchi capitibus, quae e Ctesiae opere sine dubio hausta sunt, fortasse rerum testem et spectatorem narrare conicias. Nonne huc referes verba illa, quibus quantum aquae Artaxerxi regi graviter vulnerato et doloribus confecto, dum a Ctesia curatur, oblatum sit accuratissime dicitur (cap. XII)? nonne item testis cognoscitur eo loco, quo rex taedarum splendore circumfusus de colle ad fratris corpus mortuum descendere narratur (cap. XIII)? neque minus cum quae eodem in capite de Cyri capillo referuntur tum verba cap. XI *τοῦτο δὲ Περσιστὶ πολλάκις αὐτοῦ βοῶντος* hic commemoratione digna videantur. — Quod autem attinet ad capita nobis imprimis perscrutanda, iam supra commemoravimus Plutarchum, ubi Cyri equi nomen nominat, Ctesiam auctorem nominasse, ne quis tantam scientiam admiretur. Porro quin ea, quae traduntur de loco quo ab Artaxerxis et Cyri exercitibus pugnatum est e Ctesiae opere sumpta sint, quis dubitet? Nam cum Xenophon ipse nomen Cunaxa ignorasse videatur, unus Ctesias hoc facillime scire potuit; cumque Xenophon (anab. II 2, 6) quantum esset iter a Babylone usque ad Cunaxa cautius scriberet (*ἐλέγοντο εἶναι*), Plutarchus, qui certa scire videtur, hoc e Ctesiae libris hausisse putandus est, quippe qui ipse cum rege Babylone ad pugnae locum iter fecisset (cf. Grote, Gesch. Griechenlands V p. 35, 81.).

Quid? is qui septendecim annos in Persis versabatur, nonne melius eorum mores instituta rationes novisse putandus est quam alii scriptores, quibus cum de Persis scribebant, subtilis illa scientia rerum barbararum deerat? Quod quamquam credibile est, Graecum Ctesiam fuisse non fugit[13]) eum, qui reliquias operis legit, ut Plut. cap. XV Parysatidis eunuchus[14]) Graecorum proverbio utitur, cum dicit *ἐπεὶ δέ φασιν Ἕλληνες οἶνον καὶ ἀλήθειαν εἶναι*[15]); quocum loco confer ea quae in altera parte legimus cap. XXIII *ἔπεισε ... χαίρειν ἐάσαντα δόξας Ἑλλήνων καὶ νόμους.* At tamen Persarum dei alio modo in priore Artaxerxis vitae parte alio in altera (cap. XX sqq.) commemorantur. Cum enim dicat Plut. cap. III *ἔστι δὲ θεᾶς πολεμικῆς ἱερὸν ἣν Ἀθηνᾶν ἄν τις εἰκάσειεν,* Smith p. 9 Dinonis haec esse verba opinatur, quod Ctesiam persicum nomen nominasse suspicari liceat. Neque vero miror, si Ctesias quoque Graecis, qui historias suas lecturi essent, Graecorum dea comparata deam Persarum planius ostenderit. Accedit quod uno exemplo haec sententia satis comprobatur; Jupiter enim ille, cui apud Phot. § 17 Dareus sacra facit, quis sit non latet (cf. Theop. fr. 71 M.). Cum igitur in cap. III Persarum dea conferatur cum graeca, in ea vitae parte, quae Ctesiae certe non est, graecum deorum nomen aut unum nominatur aut ita, ut persicum antecedat; vide cap. XXIII *τῇ Ἥρᾳ,* cap. XXIX *τὸν Ἥλιον,* cap. XXVII *τῆς Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἐκβατάνοις ἣν Ἀναῖτιν καλοῦσιν.* Hic autem statim dico alia in re discrepare priorem vitae partem ab altera, cum in capp. XIV et XVII poenae exerceantur a magistratibus qui vocantur *οἱ ἐπὶ τῶν τιμωριῶν,* in cap. XXIII carnifex hoc munere fungatur. — Neque vero timeo ne putes eum, quem in extrema vitae parte Plutarchus adhibuit auc-

[13]) Ctesiam Graecos, qui libros suos lecturi essent, semper sibi in animo proposuisse, in Indicis clarius est quam in Persicis historiis, cum in Indicis saepissime Graecorum consuetudines nomina verba ad comparandum adhibeantur. (cf. § 5. 21. 22. 7. 17. 19. 20 etc.)

[14]) Recte monuit Spiegel, Ktesias p. 795 eunuchos in Ctesiae narrationibus saepissime commemorari atque multum in aula regia valere idque iam Cambysis temporibus; fortasse hac quoque ex re interdum de Ctesia aliquid conicere liceat.

[15]) De hoc proverbio cf. Büchmann, Geflüg. Worte[15] p. 230. Archiv für lat. Lexicographie IV 1887 p. 355.

torem, institutorum barbarorum plane rudem fuisse. Nam ut Ctesias in Plut. cap. XV morem proprium commemorat Persarum *(εἰς τὴν γῆν κύπτειν)*, cap. XIII legem Persicam (cf. Strabo XV 733 C.), cap. XII *βασιλέως ὀφθαλμόν* (cf. Keiper, Perser d. Aisch. p. 36 sqq.), ita his rebus quodam modo respondent in altera vitae parte cap. XXVI lex Persarum, cap. XXII commemoratio donorum quibus ornant viros nobiles, aliae res minores. Sunt autem nonnullae res, quibus auctorem prioris vitae partis (I—XIX) imprimis rerum Persicarum peritum fuisse coniciamus; confer cap. XV, ubi commemoratur *ὁ βασιλέως δαίμων* (cf. Schottin p. 4), cap. IX ubi omnes Persae servi vocantur et dicit Artagerses: *πρότερον γὰρ ἀπολεῖς ἐνταῦθα τὴν σεαυτοῦ κεφαλὴν ἢ θεάσασθαι τὸ βασιλέως πρόσωπον* (cf. Heracl. Cum. fr. 2 M. Herod. I 99.) Porro nusquam nisi eis cap. V verbis (cf. Brissonius de reg. Pers. princ. 1595 p. 21), quae propter dramaticum genus narrandi Ctesiae tribuimus, commemoratur nemini regis veste uti licuisse. Item persici moris est, quod Cyrus gloriatur cap. VI *οἶνον πλείονα πίνειν καὶ φέρειν* (cf. Bähr Ctes. fragm. p. 232); de eis denique, quae de regis convivis narrantur cf. Nehem. 2, 1. 6.

Iam cum A. Bauer (die Kyrossage und Verwandtes p. 28, 2) primus nisi fallor Ctesiam fuisse medicum e fragmentis satis apparere contenderit, ad fontes explorandos quantum ego scio nemo adhuc hanc rem adhibuit.[16]) Atque Homerum virorum fortissimorum mortem vulneribus diligenter descriptis illustrare nemo nescit. Quis autem historicos poetarum patrem sequi hac in re unquam audivit? Equidem etsi omnia pari diligentia, ita ut nihil me fugere posset, me perlegisse non confirmem, nec apud Thucydidem nec apud Xenophontem ullum inveni locum, ubi de vulnere verba fiant, ex Herodoti libris unum locum (IX 72) huc referre possim. In Arriani autem anabasi exempli gratia eis locis de vulneribus verba fiunt, ubi vulneratur miles, non necatur (cf. I 15, 8. V 18, 5 etc.). Quid? quod Homerum secutus est Ctesias?[17]) Conferas velim Phot. § 6 (*ὑπὸ τὸ ἰσχίον εἰς τὸν μηρόν*), § 12 (*παίει τὸν μηρὸν εἰς τὸν μῦν;* vocabulum *μῦς* a medicis solum adhibetur cf. Steph. thes. s. v.), § 33 (*εἰς τὸν μηρόν*), § 38 (*εἰς τὸν ὦμον, εἰς τὴν κεφαλήν*), Plut. cap. XI (*βάλλει τὸν κρόταφον αὐτοῦ παρὰ τὸν ὀφθαλμόν; τῆς δὲ περὶ τὴν ἰγνύαν φλεβὸς ἀναρραγείσης*). Imprimis autem duo loci, qui commemorentur digni sunt, Phot. § 37[18]) *τυγχάνει Μεγαβύζου εἰς τὸν μηρὸν καὶ τιτρώσκει ἄχρι δακτύλων δύο* et Plut. cap. XI *ἔτρωσε τὸ στῆθος ὅσον ἐνδῦναι δύο δακτύλους τὸ ἀκόντιον*. Ex nostris Plutarchi capitibus num quid huc referam si quaeras, haud scio an cap. IX verba huc pertineant: *διήλασε παρὰ τὴν κλεῖδα διὰ τοῦ τραχήλου τὴν αἰχμήν*. Sed facile huc illud quoque referri possit, quod tribus locis Photii (§ 8. 12. 19) quamdiu is qui vulneratus est vixerit accurate narratur; at his parvis in rebus Ctesiam diligentissimum fuisse aliis quoque exemplis demonstrari potest (cf. Plut. cap. XIV). Neque omittam locos esse quosdam quibus paene insipiens nobis Ctesias videatur minimis rebus coniunctis cum maximis; ut cum narrat, quomodo factum sit ut Cambyses moreretur (Phot. § 12: *ξέων ξυλάριον μαχαίρᾳ διατριβῆς χάριν παίει τὸν μηρόν κτλ.*); § 17 autem tradit in bello Scythico Persas et Scythas alteros alteris arcus misisse; sed cum arcus Scytharum maiores essent, Dareum celeriter refugisse. Item commemoratione dignae videntur causae, quibus Xerxes (§ 21) ut Graecis bellum

[16]) In Indicis medicus Ctesias ex tota operis ratione cognosci posse videtur cf. Schauffelberger, de Ctes. Cnid. Ind. Bonn 1845 p. 42 sqq.

[17]) Confer Spiegel, Ktesias p. 810: Es ist gar nicht zu leugnen, dass die Erzählung des Ktesias von den Schicksalen des Megabyzos stark an die Erzählungen des Königsbuchs erinnert. Wir machen nur darauf aufmerksam, dass in den Schlachten, welche geliefert werden, immer die Führer gegen einander kämpfen. ... Ganz episch ist es auch u.s.w.

[18]) Fortasse aliquis mirabitur, quod Photius ea, quae de vulneribus Ctesias narravit, diligenter refert; at sunt nonnulli loci, qui ne Photium quidem medicinae imperitum fuisse doceant cf. p. 222b 37, 223a 32 sqq., 314a 36 sqq., 316b 34 sq.; plura fortasse invenies apud Geissler, de Photii scientia medica. Lips. 1746; cuius libelli titulus unus mihi notus est.

inferat et Cambyses (fragm. 37) ut cum Aegyptiis bellet adducitur (cf. Herod. III 1. 16). Denique causas quibus Parysatis ut Statiram tolleret commota esse dicitur, iam Plutarchus reiecit. Ex his igitur quae modo attuli si quid conicere liceat, suspicer etiam cap. IV initium e Ctesiae libris fluxisse (*ἔνιοι δέ φασιν οὐκ ἀρκούμενον οἷς ἐλάμβανεν εἰς τὸ καθ' ἡμέραν δεῖπνον ἀποστῆναι βασιλέως*); quam narrationem iam Ctesiam commemorasse mihi quidem verisimillimum est, verba autem *εὐήθη λέγοντες* et sequentia Plutarchi esse facile existimes.

Sed haec hactenus! Quae nunc exposui si comprobant id, quod supra ostendere studui, Ctesiam etiamsi raro nominatur principalem esse Plutarchi primorum capitum auctorem, non paucis ei horum capitum partibus adscriptis alios praeter eum fontes non multis locis esse adhibitos apparet. Accedit quod nonnulli loci ita sunt coniuncti cum aliis, qui Ctesiae tribuuntur, ut ad eundem auctorem eos referri oporteat. Velut Artaxerxis fratres Ostanes et Oxathres praeter cap. I in capite V nominantur (Ostanes praeterea in cap. XXII commemoratur); Cyri a matre servati (cap. III) in cap. VI quoque mentio fit; cumque in cap. III Cyrus magorum doctrina institutus esse dicatur, in cap. VI eum *μαγεύειν*[19]) Plutarchus tradit.

Quid? quod Dinonem nonnulli Plutarchi esse ducem putant in hac vitae parte? Sed id satis demonstrasse mihi videor praeter eos locos quibus ille nominatur nullum esse, ubi eius auctoritate uti Plutarchum constet; nisi forte ei debentur verba, quorum originem nos cognoscere non possumus. Cumque omnino Plutarchum Dinoni Cnidium praetulisse viderimus, opinari licet eis modo locis eum Dinonem sine ulla dubitatione secutum esse, ubi Ctesias tacuit. Ceterum num praeter locos supra tractatos aliis Dino et Ctesias discrepaverint plane nescimus.

Miretur autem fortasse aliquis, qua ratione alia narranda elegerit alia omiserit Plutarchus ex eis, quae apud Ctesiam invenit. At in capp. I—XIX omnia pertinere ad Artaxerxis et Cyri certamen manifestum est, quare quae ad hoc nil valent scriptor omisit; recte autem desideres in Plutarchi vita ea, quae commemorat Phot. § 59 in. De Cyri denique defectione ipsa nihil fere nisi pugnam narrat, ut nonnullae res, quae apud Phot. § 58 et 60 paucis referuntur, iure omissae sint.

Atque haec quidem de Ctesia Plutarchi auctore. Nunc cum necesse sit, priorem vitae partem (I—XIX) seorsum ab altera tractare, quid Xenophonti debeat Plutarchus quaerendum est. Ac primum quidem id satis constat non pauca inesse in Artaxerxis vita, quae ex Xenophontis anabasi sine dubio sumpta sint; nam cum Xenophon saepius in capitibus illis nominatur, tum eius libro Plutarchum usum esse docent loci, quibus miro quodam modo cum Xenophonte congruit. At enim Smith, etsi quomodo congruerent scriptores bene vidit, non tam ipsum Xenophontis librum a Plutarcho adhibitum quam per Dinonem Plutarchi auctorem excerptum esse opinatus est. Quam ad sententiam, etiamsi Dinonem Xenophontis anabasi usum esse secundum cap. XIII Plutarchi putemus, quod Dinonem principalem esse Plutarchi auctorem in priore vitae parte negavimus, nos non accedemus. Nihil autem valet Smithii argumentum, qui sententiam suam confirmare studet, cum dicit facilius credi posse Dinonem ea, quae Xenophon (an. I 7, 14) scripsit de magnitudine fossae a rege factae, neglexisse quam Plutarchum (cf. cap. VII), quem illum plurimi aestimasse notum est; at inde a cap. VIII demum Plutarchus accuratius Xenophontis libros adhibuit. — Quis autem est, cui dubium esse possit, quin Plutarchus Xenophontis libros ipse legerit eaque, quae legimus de eo initio cap. VIII, anabasis libro primo perlecto scripta sint? Nemo, qui quot scriptores Plutarchus cognoverit scit, num Xenophonti quem plurimi fecit operam dederit dubitabit. Si autem cap. VIII se ea solum esse

[19]) De verbis *βέλτιον μαγεύειν* cf. Xanth. fr. 19 (F. H. Gr. I p. 41), ubi laudi Cyro datur Persarum regi, quod *ἦν φιλοσοφίας ἔμπειρος, ἥντινα παρὰ τοῖς μάγοις ἐπαιδεύθη.*

narraturum dicit, quae in Xenophontis anabasi desint, quomodo hoc potuit perficere, nisi ipsam anabasin in manibus tenebat?

Cum igitur satis constet Plutarchum secutum esse Xenophontem auctorem, id nunc quaeritur, utrum omnibus locis quibus Plutarchus cum Xenophonte congruat Xenophontem Plutarchi auctorem esse putemus, an sequamur sententiam a Reussio (Krit. und exeget. Bemerk. zu Xen. Anab. Progr. Gymn. Wetzlar 1887. p. 3 sqq.) defensam, qui eos congruere opinatur ea de causa, quod et Xenophon et Plutarchus Ctesiae auctoritate usi sint. Qua in coniectura id satis mirum est, quod Reuss, qui Plutarchi auctorem principalem esse Ctesiam existimat, hanc rem adhuc satis dubiam inter viros doctos certis argumentis nequaquam firmavit. Sed id nunc mittamus! Hoc quaerendum est, num demonstraverit Reuss Xenophontem Ctesiam locis anabasis, quibus non nominat, secutum esse; qua in re equidem ei adsentior, quamquam non omnibus locis quibus utitur in quaestione tractanda aliquam vim tribuo. Minus enim valet, quod congruunt scriptores locis, quibus ei, qui Cyri temporibus erant, dissentire non poterant, ut de Darei morbo (anab. I 1, 1: Phot. § 57), de Tissaphernis accusatione (anab. I 1, 3: Phot. § 57), de Cyri corpore obtruncato (anab. III 1, 17: Phot. § 58. Plut. Artax. cap. XIII). Contra non satis mihi Reuss duos locos videtur laudasse, quibus ego eximiam tribuo vim. Confer anab. I 1, 4: *ὁ δ' ὡς ἀπῆλθε κινδυνεύσας καὶ ἀτιμασθεὶς βουλεύεται ὅπως κτλ'.* et Phot. § 57: *ἀπελαύνει Κῦρος ἠτιμωμένος παρὰ τοῦ ἀδελφοῦ ... καὶ μελετᾷ ἐπανάστασιν;* porro anab. I 9, 29: *παρὰ μὲν Κύρου ... οὐδεὶς ἀπῄει πρὸς βασιλέα ... παρὰ δὲ βασιλέως πολλοὶ πρὸς Κῦρον ἀπῆλθον* et Phot. § 58: *ηὐτομόλουν δὲ ἀπὸ μὲν Ἀρτοξέρξου πρὸς Κῦρον πολλοί, πρὸς δὲ Ἀρτοξέρξην ἀπὸ Κύρου οὐδείς.* Qui loci mea quidem sententia satis demonstrant etiam locis, quibus nomen deest, Xenophontem Ctesiae auctoritate usum esse.

Quae cum ita sint, id quaeramus, num sint argumenta, quibus quid Plutarchus debeat Xenophonti, quid et Plutarchus et Xenophon Ctesiae discernamus, qua de re Reuss non disputavit. Sunt autem certa argumenta quibus uti licet. Ac primum id constat eas res narrasse Plutarchum Xenophontem sequentem, quas is optime scire debuit, qui versabatur in castris Graecorum. Quis enim putet tales res Xenophontem secundum Ctesiam narrasse? Itaque ex anabasi sumpta sunt — id quod docet Xenophontis commemoratio — verba cap. IV *μαρτυρεῖ δὲ τῷ πλούτῳ ... προφάσεσι ξενολογοῦντας εἶχε* (cf. anab. I 1, 6 sqq.). Si autem in eodem capite narrat Plutarchus Parysatidem Susis Cyri causam adiuvisse, Cyrum ipsum literis fratrem adisse (anab. I 1, 8), hoc Reuss Ctesiae tribuendum esse existimat; sed cum haec Plutarchi verba cum eis arte cohaereant, quae Xenophontis certe sunt, vix Reussio adsentiemur. Item e Xenophontis anabasi sumpta sunt verba cap. VI: *ὁ δὲ Κῦρος ἀνέβαινεν ... προφάσεις τῆς στρατείας*; de exercitus magnitudine confer anab. I 7, 10, de verbis sequentibus I 2, 1. 3, 20. Quod deinde narratur, quomodo Tissaphernes regi nuntius fuerit de fratris rebellione, cum idem legatur anab. I 2, 4, num Ctesiae tribuendum sit dubito; nam cum ea quae antecedunt Xenophontis sint, ea quae sequuntur debentur Ctesiae. Porro ex anabasi sumpta est cap. VII pars altera:

καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἐξαίφνης καταφανεὶς	anab. I 8, 1: *προφαίνεται ἐλαύνων ἀνὰ κράτος ... ἐβόα ... ὅτι βασιλεὺς σὺν στρατεύματι πολλῷ προσέρχεται.*
ἐνενήκοντα μυριάσι[20]) *στρατοῦ διακεκοσμημέναις λαμπρῶς*	I 7, 12: *παρεγένοντο ἐν τῇ μάχῃ ἐνενήκοντα μυριάδες.* I 8, 1: *ὡς εἰς μάχην παρεσκευασμένος.*

[20]) Cum Plutarchi et Xenophontis narrationes artissime inter se cohaereant, non est causa, cur exercitus numerum ad Dinonem referamus, id quod saepius voluerunt viri docti (Ritschl opusc. I p. 447. Smith p. 15. Curtius Gr. Gesch. III[4] p. 760 n. 79); Ctesiam de exercitus magnitudine sequitur Plut. cap. XIII.

τοὺς πολεμίους ἀσυντάκτους καὶ ἀνόπλους διὰ τὸ θαρρεῖν καὶ καταφρονεῖν ὁδοιποροῦντας	I 7, 19: ἔδοξε ... ἀπεγνωκέναι τοῦ μάχεσθαι· ὥστε τῇ ὑστεραίᾳ Κῦρος ἐπορεύετο ἠμελημένως μᾶλλον ... τὸ δὲ πολὺ αὐτῷ ἀνατεταραγμένον ἐπορεύετο κτλ.
ἐξέπληξε καὶ συνετάραξεν,	I 8, 2: ἔνθα δὴ πολὺς τάραχος ἐγένετο.
ὥστε σὺν θορύβῳ καὶ βοῇ πολλῇ μόλις εἰς τάξιν καθίστασθαι τὸν Κῦρον·	I 8, 2 sq.: τάραχος ἐγένετο ... παρήγγειλεν ἐξοπλίζεσθαι καὶ καθίστασθαι εἰς τὴν ἑαυτοῦ τάξιν ἕκαστον.
ἔπειτα σιγῇ καὶ σχέδην ἐπάγων θαῦμα τοῖς Ἕλλησι τῆς εὐταξίας παρεῖχε, κραυγὰς ἀτάκτους καὶ σκιρτήματα καὶ πολὺν τάραχον αὐτῶν καὶ διασπασμὸν ἐν πλήθει τοσούτῳ προσδεχομένοις.	I 8, 11: ὁ μέντοι Κῦρος εἶπεν ὅτε καλέσας παρεκελεύετο τοῖς Ἕλλησι τὴν κραυγὴν τῶν βαρβάρων ἀνέχεσθαι, ἐψεύσθη τοῦτο· οὐ γὰρ κραυγῇ ἀλλὰ σιγῇ ὡς ἀνυστὸν καὶ ἡσυχῇ ἐν ἴσῳ καὶ βραδέως προσῄεσαν.
Εὐ δὲ καὶ κατὰ τοὺς Ἕλληνας ἀντέταξε τῶν δρεπανηφόρων τὰ ῥωμαλεώτατα πρὸ τῆς ἑαυτοῦ φάλαγγος, ὡς πρὶν ἐν χερσὶ γενέσθαι διακόψοντα τὰς τάξεις βίᾳ τῆς εἰσελάσεως.	I 8, 10: πρὸ δὲ αὐτῶν ἅρματα διαλείποντα συχνὸν ἀπ' ἀλλήλων τὰ δὴ δρεπανηφόρα καλούμενα ... ὡς διακόπτειν ὅτῳ ἐντυγχάνοιεν.

Deinde in cap. VIII narratur Clearchus (cf. Phot. § 58) impedivisse Cyrum ne hostium telis se offerret, id quod Reuss p. 5 secundum Ctesiam narratum esse putat, ut ea quae de eadem re legimus Xen. anab. I 7, 9. Facile autem intellegimus non pari modo rem a Plutarcho et a Xenophonte referri, cum Ctesias Clearchum laudaverit, qua in re hoc nomen omisit Xenophon; apparet autem hac de re Xenophonti Ctesiae auctoritate non opus fuisse. In sequenti capitis parte, quae Ctesiae quidem esse non potest, ea quae Clearcho crimini dantur a Plutarcho, ex anabasi certe fluxerunt: cf. anab. I 8, 4: *Κλέαρχος μὲν τὰ δεξιὰ τοῦ κέρατος ἔχων πρὸς τῷ Εὐφράτῃ ποταμῷ*; § 12: *τῷ Κλεάρχῳ ἐβόα ἄγειν τὸ στράτευμα κατὰ μέσον τὸ τῶν πολεμίων, ὅτι ἐκεῖ βασιλεὺς εἴη· κἂν τοῦτ' ἔφη νικῶμεν πάνθ' ἡμῖν πεποίηται*; § 13: *φοβούμενος μὴ κυκλωθείη*; *τῷ δὲ Κύρῳ ἀπεκρίνατο ὅτι αὐτῷ μέλοι ὅπως καλῶς ἔχοι*; I 10, 5: *βασιλεὺς ἤκουσε, ὅτι οἱ Ἕλληνες νικῷεν*.

Quoniam igitur demonstrasse mihi videor, quae eis, qui in Graecorum castris versabantur, optime nota erant, ea a Xenophonte e Ctesia opere non esse sumpta, quare dubium non est his in rebus, quin ubi consentiunt Plutarchus et Xenophon non uno ex fonte hauserint, sed Plutarchus Xenophontis auctoritate usus sit, sunt alii loci, quibus item utrumque scriptorem Ctesiam sequi negemus. Nam prima anabasis verba Reuss p. 3, quod sunt simillima verbis quae legimus Plut. Artax. cap. I, Ctesiae tribuit; at cum de similitudine dubitare non liceat, num recte coniecerit vir doctus ego ignoro (cf. Hansen, N. Philol. Rundschau 1888 p. 3). Praeterquam enim quod apud Xenophontem Artaxerxes et Cyrus solum, a Plutarcho quattuor filii nominantur, e Photii epitoma § 49 manifestum esse videtur, Parysatidis liberorum a Ctesia aliter atque a Xenophonte mentionem factam esse. Nam in Ctesiae opere primum ei liberi, qui nati erant priusquam Dareus regnum adeptus est, nominati erant, deinde ei qui erant *πορφυρογέννητοι*; quo loco liberorum numerus tradebatur, Parysatidis testimonio Ctesias usus est. Quid? nonne verisimillimum est Plutarchum cum cap. I scripsit, meminisse verba notissima, quae initio anabasis leguntur, ut ea in suum opus transferret? Quae sententia cum Plutarchum anabasin manibus tenuisse certo sciamus, quomodo possit impugnari vix habeas. Neque aliter rem esse explicandam puto, si congruunt verba Plut. cap. II *μετάπεμπτος ἀπὸ θαλάσσης* et anab. I 1, 2, cap. II *ὑπῆρχε τὸν Κῦρον μᾶλλον φιλοῦσα* et anab. I 1, 4, cap. III *παρῃτήσατο κτλ.* et anab. I 1, 3. Porro si cap. XII verba *φόβος ὡς διωκόντων καὶ πάντα νικώντων καὶ κρατούντων* congruunt fere cum eis quae legimus anab. I 10, 4, hoc casu factum esse eo opiner, quod loci quibus leguntur minime

sibi respondent. Quae autem Xenophon narrat de Aspasia capta, ea Ctesiae deberi ne Reuss (p. 6) quidem contendit. Iam nescio an haereas, quod de Cyri moribus et ingenio quodam modo consentiant Xenophon et Plutarchus (Reuss p. 5); sed cum eius mores et natura et Xenophonti et Ctesiae satis nota essent, illud quidem mirum esse non potest, praesertim cum verba nequaquam eadem sint in Artaxerxis vita et in anabasi; quod autem de transfugis — id quod iam supra commemoravi — Photii § 58 verba respondent fere Xenophontis verbis, ad eam morum Cyri descriptionem Ctesiae tribuendam nihil valent, quod cum hac morum descriptione ea connexa fuisse non constat. — Denique liceat commemorare ut Dinonem ita Xenophontem eis modo locis nominari a Plutarcho, ubi hic opponitur aliis scriptoribus.

Iam vero praeter Ctesiam Dinonem Xenophontem alios auctores in Plutarchi capp. I—XIX esse adhibitos nulla re potest demonstrari. Nam nonnullis locis, quibus commotus fortasse hoc aliquis opinetur, tamen ut id credas commoveri non poteris; tres enim tales sunt, ut scriptor quod ipse dubitat incerto quodam modo res narret, ut cap. I *ἐκείνῳ (Κύρῳ) δὲ ἀπὸ τοῦ ἡλίου (ὄνομα) γενέσθαι φασίν· Κῦρον γὰρ καλεῖν Πέρσας τὸν ἥλιον;* cap. VII *Τηριβάζου δὲ ὥς φασιν πρώτου τολμήσαντος εἰπεῖν κτλ*; cap. VIII *Κῦρον δὲ πρὸ τῆς μάχης ... εἰπεῖν φασιν.* Quibus locis utrum Ctesias iam dubitaverit an Plutarchus vix discernas; primo quidem loco ego negem dubitasse Ctesiam, qui hac re se imperitum esse linguae persicae demonstraret (cf. Phot. § 49); quod facilius credes de aliis locis, ubi res quibus Ctesias ipse non intererat narrantur. Neque vero omittam Plutarchum ipsum saepius varia de una re referre neque quae sit narratio praeferenda diiudicare; quo sunt referenda Ctesiae et Dinonis de Cyri morte narrationes (capp. X. XI) eaque quae dicuntur de regis exercitus magnitudine (capp. XIII. VII) et de Statirae morte; quorum locorum primo quidem Ctesiae auctoritatem Plutarchum probare coniciemus ea ex re, quod in capitibus sequentibus Ctesiam sequitur; aliis Plutarchum quem sequatur dubitare apparet.

Restat igitur, ut nunc profitear in capp. I—XIX Plutarchum sanum ostendere iudicium, quippe qui quattuor locis aliorum auctorum auctoritati occurrat ita, ut in cap. IV impugnet *ἐνίους*, in capp. VIII. XIII. XVIII Ctesiam. Plutarchi autem ipsius esse ea quae proferuntur iudicii loco in cap. XVIII satis constat. Nam cum Ctesias narraret, ut Clearchi mortem ulciscereturr Statiram a Parysatide occisam esse, Plutarchus hoc negat (*πολλὴν ἀλογίαν ἔχοντα τῆς αἰτίας, εἰ δεινὸν ἔργον οὕτως ἔδρασε καὶ παρεκινδύνευσεν ἡ Παρύσατις διὰ Κλέαρχον)*; quod idem si iam negasset Dino, cum narraret *ἐν τῷ πολέμῳ συντελεσθῆναι τὴν ἐπιβουλὴν* (cap. VI), Ctesiae sententiae opposuisset tempus, quo Statira occidit. In capp. IV. VIII. XIII autem ut aliorum sententias reiceret Plutarchus Xenophontis anabasin adhibuit; qui loci quantopere discrepent a natura eorum capitum, quae ex aliis scriptoribus tota sumpta sint, praecipue in cap. VIII satis apparet.

Quoniam igitur de capp. I—XIX quae habeo exposui, de altera vitae parte pauca adiecisse satis est, cum nemo dubitet, quin haec pars tota fere ex Dinonis opere excerpta sit. (Haug p. 98. Schottin p. 7. Smith p. 27. Mantey p. 20.) Quid? quoniam vidimus in priore vitae parte eius unius ex scriptoribus rerum Persicarum auctoritate Plutarchum praeter Ctesiam usum esse, cum neque inde a cap. XX Ctesias Plutarchi auctor esse possit et Dino res Persicas usque ad Artaxerxis mortem certe narraverit, nonne verisimile est a fine Ctesiae librorum Plutarchum Dinonem secutum esse? Unum autem auctorem hac in parte maxime ducem Plutarchum sibi elegisse cum eluceat ea ex re, quod singula capita nonnullis vinculis arte inter se coniunguntur (cf. Smith p. 22 sq. 25 sq.), praeterea in cap. XXII Dino a Plutarcho nominatur et unum Dinonis fragmentum, quod cum Plutarchi vita comparari potest, miro quodam modo cum ea congruit.

Itaque de capp. XX et XXI primum nonnulla hic adicere liceat; quibus capitibus cum eae res Graecorum et Persarum breviter narrentur, quae gestae sunt ab anno 401 usque ad annum 387, commemoratur quomodo Xenophontis et Graecorum itinere periculoso feliciter confecto laus bellica Persarum minuta sit, ut Spartani Persis bellum inferre non cunctarentur; quomodo paulo post bellum Corinthium exortum et Conon Atheniensis ad Persarum aulam regiam arcessitus sit; mentio denique fit pugnae ad Cnidum commissae et Antalcidae pacis. Atque quem auctorem his in capitibus Plutarchus secutus sit si quaerimus, hoc mihi constare videtur ei, qui rerum Persicarum peritissimus erat, id quod de Plutarcho vitae parallelae satis docent, in his rebus narrandis certo aliquo duce opus non fuisse, quem sequeretur; itaque res plurimas sua ipsius rerum scientia sustentatus Plutarchus conscripsisse putandus est. Sunt autem loci quidam, quibus fontem Plutarchi quaerere quasi cogamur, ut eo loco, quo *τρισμυρίοις τοξόταις* (cap. XX cf. Plut. Ages. 15 et Breitenbach ad Xen. Hell. III 5, 1) Agesilaus ex Asia eiectus esse dicitur, deinde ubi mentio fit Ctesiae, aliis. Neque vero quisquam putabit Xenophontem unum his in capitibus auctorem esse Plutarchi (cf. Mantey p. 16); quamquam enim nonnullis rebus eos scriptores inter se congruere apparet, cum sint res notissimae, de quibus omnino nemo dubitabat, ex eis quidquam conicere non audeam. Accedit autem quod Plutarchus commemorat quaedam, quae Xenophon omisit, ut Antalcidae patris nomen et ea quae traduntur in cap. XXI de Ctesia. Ctesiae autem opus Plutarchi auctorem novisse eo manifestum est, quod quae de Cnidio legimus (*λέγεται δὲ ὁ Κτησίας κτλ.*) consulto eius ipsius narrationi opposita sunt. Quod cum Dinoni bene conveniat, nescio an tota narratio ea sit, ut ex opere, quo Graecorum imprimis res gestae narratae erant, eam sumptam esse putemus. Quo ipso argumento fortasse iam Haug olim ductus opinatus est p. 96, ea quae traderentur de Antalcidae pace ex Ephori [21]) libris excerpta esse, quam sententiam cum ille argumentis non firmasset, Smith p. 17 repudiavit. Sed quae hic de hac re profert, mihi quidem nihil valent; neque enim etiamsi hic Ephori auctoritate usus sit Plutarchus eum aliis locis item debuit adhibere. Vide igitur num ea, quae nunc pro Smithii sententia proferam, talia esse videantur, ut eam possint firmare. Ac primum quidem commemoratione dignum est, quod cum Plutarcho aliquotiens congruit Diodorus, qui has operis partes certe ex Ephori historiis hausit. Plutarchus enim narrat cap. XX: *τῶν μεγίστων πόλεων συνισταμένων ... μετεπέμποντο τὸν Ἀγησίλαον ἐκ τῆς Ἀσίας*, Diod. XIV 83, 1: *ὁρῶντες τὰς μεγίστας τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα πόλεων ... συνισταμένας ἐψηφίσαντο τὸν Ἀγησίλαον ἐκ τῆς Ἀσίας μεταπέμπεσθαι* (ubi confer ea quae leguntur Xen. Hell. IV 2, 1); compares velim praeterea Plut. c. XXI: *Κόνων διέτριβε μὲν ἐν Κύπρῳ* et Diod. XIV 39, 1: *ἐν Κύπρῳ διέτριβε*, Plut. ib.: *ἀφείλετο τὴν κατὰ θάλασσαν ἀρχὴν Λακεδαιμονίους* et Diod. XIV 84, 4: *Λακεδαιμόνιοι ... τὴν κατὰ θάλασσαν ἀρχὴν ἀπέβαλον*. Timocratis quidem Diodorus mentionem non facit, id quod de Ephoro est dubium et quomodo Conon ad Persas venisset, scriptores variis modis narrasse videntur, cum apud Plutarchum Conon ipse hoc perficere studeat, aliter Ephorus rem narrasse videatur. (cf. Diod. XIV 39, 1 sq.) — Iam vero commemorabo in his capitibus com-

[21]) Ephorum quoque Ctesiae auctoritatem secutum esse, quamquam fragmenta duo modo inter se consentire videntur, mihi verisimile est, quod apud Ctesiam et Ephorum numerus copiarum regis in pugna Cunaxensi idem est (Plut. Artax. XIII Ephor. fr. 129 M.) atque consentiunt scriptores de pugna ad Thermopylas commissa. Nam cum Herod. VII 202 sq. praeter Locros quinque milia ducentos Graecos Leonida duce cum Persis dimicasse dicat, Photius § 25 errore copias, quae in Thermopylis dimicaverunt, pugnae tribuit Plataeensi; quocum miro quodam modo numero congruit Ephor. (ap. Diod. XI 4, 5—7), qui dicit: *Λακεδαιμονίων ἦσαν χίλιοι καὶ σὺν αὐτοῖς Σπαρτιᾶται τριακόσιοι, τῶν δ' ἄλλων Ἑλλήνων τῶν ἅμ' αὐτοῖς συνεκπεμφθέντων ... τρισχίλιοι*; accedunt mille Locri, mille Phocenses, mille Melii (recte nomen restituit Wesseling). Neque vero mirum est, quod ut Herodotus ita Diodorus adiungit quadringentos Thebanos, quos Photius vel Ctesias, quia in pugna Plataeensi eos in Persarum exercitu fuisse meminerat, omisit.

pluries sublimiorem esse orationem, quam in reliqua vita esse videtur, ut *ἀποφήναντες τὰ Περσῶν καὶ βασιλέως πράγματα χρυσὸν ὄντα πολὺν καὶ τρυφὴν καὶ γυναῖκας, τὰ δὲ ἄλλα τῦφον καὶ ἀλαζονείαν; οἱ τὴν ἀσφάλειαν ἀγαπῶν ἀλλὰ τὴν τῶν πραγμάτων μεταβολὴν ὥσπερ ἐν πελάγει τροπὴν περιμένων; εἰρήνης γενομένης τοῖς Ἕλλησιν, εἰ δεῖ τὴν τῆς Ἑλλάδος ὕβριν καὶ προδοσίαν εἰρήνην καλεῖν.* — Restat ut dicam cum Isocrate nonnullis rebus Plutarchum convenire; uterque enim negat privatis modo causis commotum Cononem post pugnam ad Aegospotamos factam ad Euagoram se contulisse (cf. Isocr. Euag. 52. Breitenbach ad Xen. Hell. II 1, 29) et Antalcidae pace magna ignominia Graeciam aspersam esse iudicat (cf. Breitenbach ad V 1, 31); quae res et ipsae ad Ephorum referri possunt. — Neque vero nego iam Dinonem, qui cap. XXII de Antalcida nominatur, brevem narrationem rerum post annum 401 gestarum ex Ephori libris composuisse. Dinonem enim Ephori auctoritatem secutum esse ut putemus suadet id, quod ab eis idem narratur de Themistoclis ad Persas adventu (Dino fr. 20. Ephor. fr. 115 M.).[22])

Ex Heraclidis denique Cumani opere certe ea sumpta sunt, quae in cap. XXIII eius nomine signantur et quae dicit Plut. cap. XXVII de regis filiabus (cf. Smith p. 38). Equidem ea quoque ei tribuam, quae de hominibus Graecis a Persarum rege donis magnificis honoratis in cap. XXII narrantur, quaeque Haug p. 98, Müller F. H. G. II p. 94, Smith p. 19 sqq. Dinonis, Schottin p. 8 Phaniae esse coniecerunt. Sed hanc rem nunc mitto; non iuvat tempus terere coniecturis satis dubiis.

---

[22]) Quod cum Plut. cap. XXI congruunt Theopompi verba *εἰρήνης ἦν αὐτὸς (ὁ βασιλεύς) τοῖς Ἕλλησιν ἐβράβευσεν* (fr. 111 M.), nullius fere est momenti, cum et dubium sit, num haec verba ipsius sint Theopompi (cf. Grote V p. 312, 9) et in Plutarchi vita praeterea nullum quantum scio Theopompi vestigium inveniatur.

Conspectus.

De quorum vitae capitum fontibus consentiant viri docti p. 3—5.

I Quaeritur de fontibus capp. I—IX p. 5—22.

Ctesiam hic Plutarchi fontem esse suspicari licet p. 5—6.

1. Plutarchi de Ctesia iudicia, quae in Artaxerxis vita leguntur p. 6—9.
   Plutarchus a Ctesia bis deceptus est p. 6—8.
   Dinonis de Ctesia iudicia p. 8—9.
2. Quaenam sit necessitudo inter Plut. capp. I—IX et Photii epitomam p. 10—16.
   De nominum discrepantiis p. 11—13.
   De argumento ex silentio p. 13.
   De Photii excerptionum fide p. 13—14.
   De Artaxerxis regis ingenio et moribus p. 14—16.
3. Num signa quaedam praebeant fontibus discernendis Ctesiae historiae quales nobis notae sunt p. 16—19.
   μυθῶδες καὶ δραματικόν p. 16; Ctesias ipse interfuit rebus narratis p. 17—18; de Ctesia medico p. 18; res minimas Ctesias saepe coniungit cum maximis p. 18-19.
4. De Xenophonte Plutarchi auctore p. 19—22.
5. De Plutarchi ratione iudicandi p. 22.

II De altera vitae parte (capp. XX. XXI) p. 22—24.

Loci tractati.

Plut. Artax. c. 1—9: p. 5—22. 10: p. 3. 11—18: p. 4. 19: p. 5. 20—30: p. 3—4. 1: p. 10. 12—13. 22. 2: p. 6—7. 10. 3: p. 11. 16. 4: p. 20. 5: p. 16. 6: p. 7—8. 16. 20. 7: p. 20—21. 8: p. 21. 12: p. 16. 13: p. 16. 14: p. 14 n. (emend.). 15: p. 16. 17: p. 16. 18: p. 22. 24: p. 15. 26: p. 16 n. 27: p. 16 (emend.). 30: p. 14—15.

Phot. bibl.: cod. 72 (Ctes. Pers. § 25: p. 23 n. § 49: p. 12. § 53: p. 12. § 57: p. 11. § 58: p. 11. 13. § 59: p. 12. 13—14. § 61: p. 12. § 62: p. 4 (emend.).
ed. Bkk. p. 17ᵃ 35: p. 12. p. 67ᵇ 30: p. 13. p. 67ᵇ 38: p. 14. p. 68ᵃ 12: p. 13 (emend.). p. 68ᵃ 39: p. 10 n. p. 68ᵇ 37: p. 10 n. p. 85ᵃ 39: p. 14.

Xen. anab. I 1, 1: p. 21 I 1, 2. 3: p. 21. I 1, 4: p. 20. 21. I 1, 9: p. 7—8. I 2, 20: p. 12 n. (em. Gutschmid). I 9, 29: p. 20. I 10, 4: p. 21.

Herod. VII 3: p. 10.

Conspectus.

De quorum vitae capitum fontibus consentiunt vitae deinde p. 3—5.

I. Quaestiones de fontibus capp. I—IX p. 5—22.

Ordinem libri Petronii Istri antiquiori liceat adpingere p. 5—8.

1. Fabularum de Circe indicia, quae in Ariaxaxis vita legunter p. 8—9.

Fabularum a Circe filia descriptio est p. 9—8.

Indicia de Circe Iudaica p. 8—9.

2. Quae ex necessitudine vitae Plut. capp. I—IX et Flavii capitumum p. 10—16.

De nominum diversitatis p. 11—12.

De argumento ex silentio p. 12.

De Flavii exceptionum libe p. 13—14.

De Ariaxaxis regis Iugenis et mortium p. 14—16.

3. Xiae aliqua quaestiones praesertim fontibus discernendis Cassius Dio, Eusebius, Hieronymus p. 16—19.

De Cassio Dione p. 16; Graecus ipse Iudaeis vetus narratio p. 17—18;

de Cassio Dione p. 18; nos indicia Dionis ipsius cum Iudaeis p. 18—19.

4. De Xenophonte Flavii auctore p. 19—22.

5. De Flavii et Iudaeorum fontibus p. 22.

II. De aliis vitae partibus capp. XX. XXII p. 22—24.

Loci tractati.

Plut. Ariax. c. 1: p. 9—22. 10: p. 3. 11—16: p. 4. 19: p. 5. 20—30: p. 8—4. 1: p. 10. 12—15. 20: p. 5—7. 16: p. 8. p. 11. 18. 4. p. 20. 3: p. 16. 6: p. 7—8. 18. 22: p. 9—21. 8. p. 21. 12: p. 16. 13: p. 16. 12: p. 14 n. (omend). 15: p. 18. 17: p. 16. 18: p. 22. 22: p. 16. 26: p. 16 n. 27: p. 16 (omend). 30: p. 17—18.

Phot. bibl.: cod. 72 (edit. Pers. 3 22: p. 23 n. 4 40: p. 12. 4 53: p. 12. 5 57: p. 11. 5 [illegible] p. 11. 13. 4 30: p. 12. 13—14. 8 61: p. 12. 8 62: p. 4 (omend).

cod. Fabr. p. 12—35. p. 12. p. 20. p. 12. p. 14. p. 25. p. 11. p. 28. 12: p. 1. (omend).

p. 20. p. 16 n. p. 28. 12. p. 10 n. p. 28. 20: p. 14.

Xen. anab. 1. 1. p. 21. 1. 1. 3. 2: p. 21. 1. 1. 4: p. 20. 21. 1. 1. 6: p. 17. 8: 1. 2. 20: p. 12 n. (in Dionis). 1. 9. 20: p. 20. 1. 10. 4: p. 21.

Herod. VIII: p. 10.

TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19